PRAESTANTISSIMORUM ECCLESIAE PATRUM INGENIOSAE...

Dominique Bouhours

PRÆSTANTISSIMORUM ECCLESIÆ PATRUM INGENIOSÆ COGITATIONES

E GALLICO
R. P. DOMINICI BOUHOURS e S. J.
LATINE REDDITÆ
ET NUNC
ALMÆ DOMINORUM SODALITATI
SUB TITULO:
B. B. V. MARIÆ
AB ANGELO SALUTATÆ,
IN
CÆSAREO, ET ACADEMICO COLLEGIO LINCII
ERRECTÆ ET CONFIRMATÆ,
IN
XENIUM OBLATÆ.
Anno a Partu Virginis
M. DCC. LXXX.

Cum Permissu Cæs. Reg. Revisionis liberariæ in Austria superiori.

LINCII,
Typis Joannis Michaelis Pramsteidel,
Statuum Provincialium superioris Austriæ, & Academici Typographi.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

ERASMO

ALOYSIO

S. R. I. Comiti, & Domino

A

STAHREMBERG,

DOMINO DOMINIORUM

Wildberg, Reichenau, Riedeck, Auhoff, & Haagen.

Nec non

Dominiorum Wangern, & Schnellendorf in Silesia.

Sac. Cæs. Reg. Apostol. Majestatis

CAMERARIO ACTUALI,

atque

apud Supremum Superioris Austriæ Capitaneatum

CONSILIARIO,

DOMINO, DOMINO

SODALI, PATRONO,

AC

MECÆNATI GRATIOSISSIMO,

ILLUSTRISSIME

DOMINE, DOMINE

COMES,

SODALIS, PATRONE,

ET

MECÆNAS GRATIOSISSIME!

Præstantissimorum Ecclesiæ Patrum ingeniosæ cogitationes: libellus inscribitur, quem suis Alma Sodalitas in strenam rursus Alumnis offert, quemque

que TUO, Illustrissime Comes! nuncupandum Nomini cumprimis duxit, propterea, quod Celebratissimæ Prosapiæ TUÆ seu sacram, seu profanam in rempublicam, tum pro Patriæ, tum Religionis commodis, ornamentis, splendoribus, merita sint & numero innumerabilia, & magnitudine propemodum immensa. Essent profecto, nisi præteritorum temporum non secus edacitas, quam vetustas gesta, sempiterna quantumvis memoria multum dignissima, secuturæ tamen subducere sæpenumero posteritati consuevisset, essent, inquam, ad sæculum usque retro quartum, in Wi-

nul-

nulpho videlicet Agilolfingica e ſtirpe oriundo, totiusque Stahrembergicæ Domus Protoparente, vetuſtiſſimæ Majorum TUORUM deſignandæ Ceræ, easque inter regiorum etiam Principum, Ducum, Marchionum ſanguine purpureæ, quas in hujus rei proferendas teſtimonium tam magnificum haberemus, quam illuſtre.

Enimvero, ſi pro religionis tum emolumento, tum majeſtate præclare facta, ac obtenta propterea ſacratiorum dignitatum decora primum reſpiciamus; quam ſplendida, quam auguſta Ottocari, Laureacenſis, Pillgrini,

ni, Patavienſis, Eberhardi, Salisburgenſis Eccleſiæ, mytratorum Præſulum, noſtris ſeſe oculis Nomina objiciunt? Eberhardi cumprimis ajo, quem ut immortali celebrandum laude poſterorum memoriæ rerum Juvavienſium ſcriptores transmittant, tantæ virtutis & Principem, & Antiſtitem pronunciant, *ut in eo ſapientia cum morum probitate: corporis apta compoſitio cum ingenii habitudine, & inſigni caſtimonia: zelus honoris divini cum manſuetudine, & in oves ſubditas charitate nunquam non de primatu contenderent.* Profuſam vero in ſacros Deo Viros, ædesque ſacras Stahrembergiorum liber-

beralitatem ſi contuemur, quam copioſa, quamque ſimul conſpicua, ſeu celeberrima ad D. Floriani Canonia, ſeu antiquiſſima lambacenſe, Garſtenſe, Zwetlenſe aſceteria, aliaque quamplurima religioſorum hominum tum templa, tum domicilia, munificentiſſimæ hujus pietatis admiranda nobis monumenta exhibent?

Profana dein respublica, quæ quantaque Stahrembergiis nunquam non referenda in acceptis habuerit, ſingularia illa laudum encomia, honores illi prorſus inſoliti, illa primarum ſemper dignitatum, legationum, præfe-

cturarum ſubſellia teſtatum abunde faciunt, quibus Gentem Hanc multum Nobiliſſimam, Summorum Imperatorum Rudolphi primi, Alberti, Sigismundi, Friderici, Maximiliani, aliorumque longa ſerie, Habſpurgica de Domo Cæſarum benevolentia condecoravit. Quid? quod poſterioribus hiſce temporibus per graviſſimum Caroli Sexti Magnæ Thereſiæ Magni Progenitoris, effatum, Stahrembergici Nominis Celebritas omnes omnino laudum apices videatur transgreſſa. Enimvero, cum æquiſſimus iſthic & meritorum arbiter, & remunerator, ſupremum utriusque Auſtriæ Mare-

chal-

ſchallatum, perpetuo Stahrembergiis jure, hæreditarium commiſiſſet, hæc præterea dicta momenti multum pleniſſima adjecit, quin anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo decimo ſeptimo publicis plane tabulis ſempiternæ poſterorum memoriæ transſcribenda curavit: *Antiquiſſimam*, videlicet, *atque a ſex, ſeptemve ſæculis florentiſſimam Comitum, ac Dominorum de Stahremberg familiam, graviſſimis ſeu ſago, ſeu toga, domi, foriſque geſtis negotiis, quin bonorum ſæpenumero, vitæque profuſione non de Auguſtiſſima ſolum domo Auſtriaca, verum de ſumma ipſius Romani Imperii Maje-*

ſtate

ſtate præ cæteris eſſe longe meritiſſimam. *)

Quæ ſane omnia, quantumvis maxima, atque prodigiorum propemodum inſtar admiranda, inficiari tamen nullus unquam audebit aliquis, qui vel trium, Stahrembergica de gente, immortalium plane Virorum, compellare Nomina novit. Erneſti primum Rudigeri: qui cum anno ſuperioris ſæculi octuageſimo tertio Vindobonenſium urbem, atque totam cum ea Germaniam, quin orbem Chriſtianum univerſum, adverſus immanem Ottomanorum vim, trium ſpa-
tio

*) In Diplomate Cæſareo anno 1717. 6. Martii dato.

tio mensium, fortissime propugnasset, non inauditam modo belli gloriam reportavit, verum amplissimis etiam ab Imperatoribus, Regibus, Electoribus, atque ab Ipso Ecclesiæ supremo Capite & laudibus, & præmiis est cumulatus; a Magno vero Cæsare Leopoldo præterquam honores alios multum splendidissimos hanc quoque prærogativam abstulit prorsus singularem: ut prægrandis illius ad D. Stephani turris effigiem, pro Mahometanorum luna, stellaque, jam adoranda insignitam cruce, ceu sempiternum fortitudinis suæ Trophæum, armis inserendam gentilitiis deinceps usur-

usurparet. Maximarum dein victoriarum Archistrategi Quidobaldi: qui, dum victrices manus per omnem late Hungariam, Italiam, Hispaniam, continuo circumferret, modicaque potissimum militum stipatus manu, ingentes tamen hostium exercitus fundere, usitatum haberet, atque familiare, dignissimum sese præ reliquis probavit unum, quem Magnus ille Galliarum Rex Ludovicus, hujus Nominis decimus quartus, tanquam absolutissimum Herois Exemplar, suis & impense, & identem ducibus commendaret. Gundaccari demum Thomæ: cujus vel profari

No-

Nomen nihil eſſe videtur aliud, quam Magnum illum Cæſaris Miniſtrum deſignare, quo ſua in Deum, Principemque fide, ſua in rebus agendis ſagacitate, prudentia, ſedulitate, majorem Auſtria nunquam habuit, quique & ſua mentis perſpicacitate, & animi candore ſuo, Auſtriacorum civium adeo publicam, communemque facere felicitatem novit, ut ea non Majoribus modo, Amplioribusque, verum infimis etiam, atque poſtremis frui quam abſolutiſſima ſemper liceret.

TU vero, Illuſtriſſime Comes! quem tantis, tam de

Re-

Religione Patriaque meritis, progenitum Majoribus suspicimus, an non paria pro Religione, Patriaque aliquando præstanda, nostris certo certius spebus polliceris? sane: si singularem qua jam TUO isthoc in ætatis flore præfulges, animi celsitatem. Si in dandis consiliis circumspectionem: in pertractandis negotiorum momentis industriam, & accurationem: in procurandorum subditorum commodis solicitudinem, atque cum illis agendi Comitatem TUAM: si impensum deinde pro Deo, Deique rebus pietatis studium: si in divos Cœlites, atque in Virgineam cumprimis Dei Paren-

ren-

rentem, Tutelarem, noſtram ſemper Religionem, cujus poſtremis primum labentis anni menſibus Pöſtlingana Virginis ædes, tam argento dives, quam TUO pietatis affectu locuples monumentum accepit; hæc, inquam, tum a virtute, tum a natura animi TUI decora ſi vel fugitivo mentis intuitu perluſtremus, nunquid a TE quoque non niſi grandia quævis ſeu pro ſacræ, ſeu profanæ reipublicæ emolumento habebimus expectanda. Quamobrem ut felicibus hiſce graviſſimorum præſagiorum eventibus ſoſpes incolumisque ſerveris, noſtrum poſthac negotium iſtud erit,

ut

ut longiſſimos aſſidua TIBI prece a vitæ Authore, Conſervatoreque Deo annos exoremus.

ILLUSTRISSIMÆ

DOMINATIONIS TUÆ

Devotiſſimi Sodales
Sub Titulo B. V. Mariæ
ab Angelo Salutatæ.

COGITATIONES
INGENIOSÆ
ECCLESIÆ PATRUM.

Vel elegantiſſima Plinii junioris primæ D. Cypriani epiſtolæ me quidem judice anteferri haud poteſt: eſt illa hac in materia opus admirandum ſane, & numeris abſolutum omnibus: tantum illi acuminis, tantam ineſſe eloquentiæ vim D. Auguſtinus exiſtimat, ut in libro de doctrina Chriſtiana vel hanc ſolam argumento eſſe fateatur, qua dicendi facultate inſtructus eſſet Cyprianus, ſi hanc quidem uſurpare voluiſſet. Ipſa

epistolæ idea ingeniose est designata: nam descriptis autumni deliciis, & rusticani prædii amœnitate, cum de fructibus emendationis, de virtute Baptismi, deque admirandis gratiæ operibus pauca disseruisset, amicum suum Donatum mente præcelsum montem conscendere, & quid in subjecto orbe agatur, velut e specula contemplari jubet. Vides, ait, ardentem bellis orbem; rubet terra pugnantium sanguine, & quæ privatim commissa crimini datur cædes, laudatur etiam, cum publica velut authoritate patratur: non innocentia, sed dira sæviendi atrocitas justo scelera supplicio eximit: *Madet orbis mutuo sanguine, & homicidium, cum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cum publice geritur. Impunitatem sceleribus non acquirit innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.* Si oculos in urbes conjicias, turba se tibi offeret, quæ plus metus omni solitudine dabit. *Celebritatem offendas omni solitudine tristiorem.* Præparatur ludus gladiatorius ad pascendos barbaros oculos effusione sanguinis: nutriuntur athletæ succo ciborum apprime solidorum, ut ad pugnam saginati, peremptique tanto majoribus impensis stent. *Ut saginatus in pœnam carius*

pe-

pereat. Homo occiditur, ut aliis morte sua amœnum spectaculum præbeat: nosse hunc perimendi modum ad habilitatem, usum, & artem refertur. Crimen non patratur modo, sed & docetur. Quid crudelius vel cogitatione fingi potest? Scientia est scire occidere, & gloria homines de vita deturbare. *Homo occiditur in hominis voluptatem, & ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantum geritur, sed docetur.* Videas, qui in annorum flore se pugnæ cum ferocibus belluis addicunt, pretiosisque induti vestibus cum gaudio in mortem ruunt, miseratione quantumvis digni, infelici tamen suo fato minime irati depugnant cum bestiis non ut facinorosi, sed ut furore acti: *in ultroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur, pugnant ad bestias non crimine, sed furore.* Impiis adeo, barbaris, funestis spectaculis agnati omnes adstant, neque flagitium quodpiam, dum cruentum adeo usurpant spectaculum, perpetrare se autumant: *Esse se non putant oculis parricidas.*

S. Cyprianus exhortatur subinde Donatum, ut oculos vertat ad theatra, & comœdias, quæ dantur. Renovantur,

ait, parricidia, & antiqui inceſtus referuntur modo vivido, & ad naturam maxime accedente, metu, ne, quod perpetratum eſt alias, ipſo ſæculorum decurſu aboleatur, verſu, actioneque ætas omnis docetur, vel hodie innovari poſſe, quod olim evenit: nunquam conſeneſcunt, aut cum ipſo tempore emoriuntur crimina. Facinora probri, & dedecoris pleniſſima, quæ pridem deſierunt, ad vitam velut revocantur, & in exempla eunt: videndo diſcuntur adulteria, & autoritatis velut publicæ ſcuto protecta, quæ vitiis blanditur. *Ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt, admonetur omnis ætas auditu, fieri poſſe, quod aliquando factum eſt. Nunquam ævi ſenio delicta moriuntur: exempla fiunt, quæ jam eſſe facinora deſtiterunt.* Honorata fœmina, quæ forte caſta ſpectaculum illud viſura adiit, redit impudica. Actores, adjungit Sanctus, agunt Venerem laſcivam, Martem adulterum, Jovem potentiam ſuam criminibus maxime probantem, & cum armatus ſit fulminibus, amore tamen hominum ardentem, Interrogate illico hominem, num caſtus, integerque eſſe poſſit, qui hæc ſpectacula intuetur? Dum imitantur Deos, quos adorant, vel atro-

ciſ-

cissima crimina ab his infelicibus inter ipsa religionis exercitia assumuntur. *Cum Deos suos, quos venerantur, imitantur, fiunt & miseris religiosa delicta.* Si aperire posses, prosequitur Sanctus, quæ in intimo domus, quæ in abditis magis recessibus eveniunt, quæ nec videri possunt sine crimine, videres. *Videas, quod crimen sit & videre.* Interea homines corrupti palam condemnant, quod clam perpetrare religioni non ducunt, & cum ipsi fontes sint, sibi diem dicunt, dum alios accusant. *Idem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos pariter censores & nocentes.*

Sed tantisper animo repete, quæ ipsis in tribunalibus eveniunt: ipsas inter leges leges violantur, insontis ne ibi quidem defensio suscipitur, ubi eum cumprimis pro præscripti muneris ratione defendi oportuerat. Qui criminum vindex constitutus est, atrocissimis ipse tenetur sceleribus, utque innocens fictis criminibus obruatur, judex ipse novo se scelere contaminat. *Inter leges ipsas delinquitur, innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & ut reus pereat innocens, fit nocens judex.*

Non timetur pœna, ubi illa redimi potest: crimini imputatur, si quis hodie flagitiosos inter virtutem integram præstare velit. *Esse jam inter nocentes innoxium crimen est.* Quisquis imitatione sceleratos exprimere abnuit, eorum sibi consciscit odia: denique legi cum crimine convenit, neque facinora inter numeratur, quod authoritatem velut a communi usu est mutuatum. *Consensere jura peccatis, & cæpit esse licitum, quod publicum est.* Deinde amico suo demonstrat, quam præter fucum vix quidpiam in honoribus, opibusque sit reperire. Ille, quem vides ad tantam provectum gloriam, vestitum splendide, turba famulorum lateri adhærentium stipatum, quam indignis pene homine obsequiis sublimem hunc gradum comparavit: *quibus hoc sordibus emit, ut fulgeat?*

Dives ille, qui late adeo fines suos profert, & thesauros pristinos novis in dies cumulat, nec cibum, nec somnum quietus capit: expressa inter festivitates suspiria animi ægrimoniam loquuntur, quantumvis pretiosis e vasis potus illi ministretur: *Suspirat ille in convivio, bibat licet gemma.* Quantumcunque superbo, mollique lecto incubet, quan-

quantumcunque exquisitis distentus epulis, vix tamen fugientem somnum capit: non novit se esse infelicem, non intelligit, illud ipsum, quod in fortuna sua ducit præstantissimum, in præcipuum cruciatuum suorum instrumentum abire: nescit ipso suo se auro vinciri, & pro eo, quod opes possideat, sub durissimo se illarum mancipatu gemere. *Nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & magis possideri, quam possidere divitias.* Nec ipsos quidem Reges ab hac sorte præcelsa dignitas immunes præstat, vivunt perpetuis fere terroribus exagitati. Quæ potentia ingenti alios terrore percellit, illis ipsis plurimum metus ingenerat. Fortuna adeo propitia multo crudelissima est, non blanditur, nisi ut deludat, non attollit, nisi ut graviore impetu dejiciat, non allicit, nisi ut feralem ictum adigat: per speciem quandam fœnoris ii, quos mundus amplos, honoratosque habet, tanto graviori inquietudini, pœnæque addicuntur, quanto majore gloria, bonisque sunt cumulati: *Ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet, ut sæviat, blanditur, ut fallat, extollit, ut deprimat, allicit, ut occidat.*

Fœnore quodam nocendi quam fuerit amplior summa dignitatis, & honorum, tam major exigitur usura pœnarum. Omnes hæ cogitationes peculiari quodam caractere animatæ sunt, qui earum pretium mirum quam extollit.

Paucula verba, intra quæ S. Ambrosius Abrahæ laudem cogit, adeo nervorum plena sunt, ut facundam Panegyrim superent: ubi enim dixit, commendandum esse Abrahamum nullo non virtutum genere illustrem, adjungit: quidquid profana sapientia in votis habere potuit, ut suorum Heroum magnitudinem absolveret, meritis hujus inferius fuit: quidquid illa finxit, eo non pertigit, ut non infra illius facta censeretur: & veritas omni quantumvis ornamento aliundè accito destituta ornatum, pompamque omnem eloquentiæ longissime superat: (a) *Quem votis suis Philosophia non potuit æquare: minus est, quod illa finxit, quam quod iste gessit, majorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides.*

Quam undantem hominum turbam videmus, dicit S. Augustinus, convolare

lare

(a) De Abraham Patriarch. lib. 1. cap. 2.

lare ad ſpectacula, vanitates, ludicraque mundi hujus gaudia! quanto non nos dolore confici eſt neceſſe, dum ab his eas rationes, quibus ſe ultro, cum luſtricus fons affunderetur, devoverunt, negligi intelligimus? Ipſe hic populus, ſi quis ſubitus in theatro fragor concreparet, victricis crucis ſignum fronti ſuæ imprimere haud dubitaret: & tamen perſeverant hoc in fronte ſignum præferentes, diſceſſuri ocyus, ſi cordi inſculptum gererent. (a) *Stant illic portantes in fronte, unde abſcederent, ſi hoc in corde portarent.* Non alibi facile melius expreſſum reperias, quam ii, qui Chriſtiano aguntur ſpiritu, a ſpectaculis, profaniſque locis abhorrere debeant.

Tertullianus inſultat idololatris, quod miſeros adeo Deos divinis honoribus proſequantur. Poſtquam illis exprobravit, quod Dii, quos cœlo inſeruerunt, ſcelerati, & miſerabiles, cooperti ſceleribus ſint, vultu illis inſultante dicit: ſit ita, nec virtus, nec probitas in Diis veſtris deſideretur, quanto non tamen major hodie eorum numerus in inferno conſtringitur, qui ma-

a 5 jo-

(a) In Pſal. 50.

joribus virtutibus insignes sunt: (a) *Probi, & integri, & boni fuerint, quot tamen potiores apud inferos reliquistis?* Quis vestrorum Deorum gravitatem morum, sapientiamque Catonis æquat? quis justior, bellicaque gloria præ Scipione censendus? quem præ Pompejo majore inter homines gloria fortuna cumulavit? Deus ille vester, qui, in quos visum fuit, divinos honores contulit, cum ad Deorum conditionem varios eveheret, constrictus, ut reor, fuerit, exiguum ut intra tempus collationem suam absolveret: æquo citius cœlum clausit, non modica aspersus infamia, quod in inferno eos spectet hodie, qui Deorum prærogativas superant, eos inquam, qui justo fremitu se in Deorum numero neglectos testantur: *Properavit, opinor, Deus ille Deificus, & cœlum semel clausit, & nunc utique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.* Irrisio falsa est, neque alibi magis risui expositas fictitias illas paganorum divinitates videas.

(b) S. Gregrius Naziansenus funebrem orationem sorori suæ Gorgoniæ adornans hodiernarum fœminarum mo-

tes

(a) Apol. c. 11. (b) Orat. 11.

res perſtringere videtur: nam cum antea dixiſſet, non alio illam ornatu, niſi pudico, modeſtoque habitu aliorum oculos ferire voluiſſe, nec alium ſibi ſplendorem accerſere, niſi quem mores ii conciliant, in quibus ne oculati quidem jure quid reprehendant: cum dixiſſet, nullo ſe illam auro, argentoque ornaſſe, non ſumpſiſſe veſtimenta transparentia, lædendo magis pudori, quam corpori tegendo nata, non in cincinos capillos torſiſſe, non quem neſcio inconcinnum capiti ornatum impoſuiſſe, nullo genas pinxiſſe ſtibio, nihilque de illis artificiis addidiſſe, quæ naturam corumpunt, & ſub obtentu novum quem ei ſplendorem addendi DEI imaginem vitiant, ſupremi artificis opus in idolum dæmonis vertunt. Subdit, Gorgoniam non alium ruborem amaſſe, niſi quem pudor aſpergit, non albedinem alterius palloris, niſi qui ex abſtinentia, & jejunio proficiſcitur, fucum vero, ornatum, & alias ab arte petitas veneres comicis, aut ſaltatricibus reliquiſſe, quæ ingenuum ruborem probri inſtar ducunt, & ex ipſa impudentia gloriam petunt. Adjungit denique, ut pauperibus gratificaretur, rebus Gorgoniam ſe ultro omnibus ſpoliaſſe, nec, quod eriperet

mun-

mundi Princeps, reliqui fecisse, & virtutum suarum imitatione prolibus suis in locum divitiarum transscripta, nihil in terra præter corporis exuvias reliquisse.

Felicitati apponendum est ait S. Leo, eo redactum esse; ut ne nocere quidem possis proximo, inter lucra reponendum, si ingenio careas, quo malum cuiquam inferre possis. (a) *Magnum bonum est nocere non posse, & ad maligna non sapere.* Profani homines in eo ingenium verti credunt, siquam usu nondum pervulgatam injustitiam exercere norint, si suis iris hostem immolent. At malo vicem non referre est, quod moderatio Christiana suadet, primæque velut infantiæ status, ad quam nos lex Christi vocat. Dogma hoc lectissimis quibusque Senecæ sententiis præferendum est.

Sceleribus nostris, dicit Salvianus, manum velut Deo injicimus, nos ipsi arma Deo, quibus in nos depugnet, sufficimus: nos iram illius provocamus, ne quam unquam nobiscum pacem ineat: nam cum ne vestigium quidem injustitiæ in

(a) Serm. 7. in Epipha.

in Deo deprehendere liceat, nos tamen eos nos præbemus, ut, nisi pœnas de nobis atrocium adeo delictorum repeteret, ille injustus videretur. (a) *Cum in eum nullum unquam injustitiæ signum cadere, aut apparere possit, sic agimus, ut si enormitates nostrorum scelerum non ulciscitur, injustus esse videatur.* Puritas, & soliditas hae in cogitatione decertant. Sed S. Augustinus eam magis exprimit, dum dicit ad peccatorem: peccato contaminare te volebas, sed nullam pœnam dependere, minime tuæ injustitiæ acquiescens, nisi eo prolabereris, ut vel ipsum Deum injustum velles, ceu vindictæ sumendæ imparem: (b) *Peccare volebas, & laborare nolebas, ut parum tibi esset, quod esses injustus, nisi & eum esse injustum voluisses, a quo in te vindicari noluisses.*

Eleganter S. Paulinus demissum corde ipsum cor Christi compellari posse innuit: (c) *Humilis corde cor Christi est.* Idem Pater alio in loco de humilitate loquens, non alia re DEO, hominibusque nos magis acceptos reddi, ait, quam si virtutibusque, meritisque conspicui nul-

(a) Lib. 5. de provid. (b) In Psalm. 42. (c) Epist. 3.

nullo tamen nobis in loco videamur. (a) *Nihil est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitæ merito magni humilitate infimi simus.* Idem fere exprimit S. Gregorius: (b) *Tanto quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior DEO, quanto propter eum vilior sibi.*

Plenum Spiritus est, quod dicit S. Chrysologus de sanctis Innocentibus ipsa inter Matrum brachia contrucidatis. Parvulus ridenti vultu ei blandiebatur, a quo ad feralem ictum designabatur, coludebat gladio, quo jamjam transverberandus erat: pro eo, ut nutricem suam respiceret, oculos in vultu furibundi sui tortoris defixerat. Hi, qui teneræ adeo ætatis erant, vix bene delibata vita jam ad mortis limina non sine gaudio adducti erant. Lactens omnes homines non in hostium, sed parentum ducit loco. Matres unæ erant, ad quas funesti hujus imperii sensus pertinebat, & inde profectum est, quod Matres proles suas Martyres lachrymis prosequerentur, quin gaudio illo fruerentur, quo Martyres ipsa inter supplicia perfusi

(a) Epist. 50. (b) Lib. 18. Moral.

fusi sunt. (a) *Arridebat parvulus occisori, gladio adjocabatur infantulus. Nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorem. Nescia lucis ætas moritura gaudebat. Infans filius omnem hominem non hostem respicit, sed parentem. Matres tulerunt, quidquid & angoris extitit, & doloris, & ideo non martyrii gaudio, martyrii lachrimas profuderunt.*

Rationes, quas affert S. Maximus, cur in tertium cœlum raptus sit S. Paulus non minus solidæ, quam amœnæ sunt: evenit id, ait Sanctus, ut is, qui Ecclesiis omnibus instruendis designatus erat divinitus, Angelis immistus illud edisceret, quod hominibus subinde credendum proponeret, & ut, cum humano intellectu superiora mysteria exponeret, non de iis modo loqueretur, quæ auditu acceperat, sed & testimonio suo comprobaret, quæ oculis ipse suis spectarat. Quanta non Dei fuit miseratio, dum voluit, ut, quem voce allapsa cœlitus Apostolos inter accepit, is authoritatem, & consecrationem velut ipso in cœlo nancisceretur. (b) *Ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret.*

Quan-

(a) Serm. 152. (b) In Nat. BB. Petri, & Pauli

Quanta hoc Dei nostri actum est gratia, ut, qui de cælestibus in Apostolatum vocatus est Apostolatus ejus consecraretur in cælo.

Minutius Felix suo in Dialogo contra Ethnicos, qui inscribitur *Octavius*, fictitios Deos ludos facit, & præ aliis Jovem, jam barbatum, jam imberbem, jam cornutum, & tunc Hammonis, jam fulminibus armatum, & tunc Capitolini compellatum nomine. Ne Jovis sortes omnes exequar, ait, quot Jovis recensentur nomina, tot monstra reperias. *Tot sunt Jovis monstra, quot nomina.* non minus acrimoniæ spirat, quod dicit per occasionem Mysteriorum Isidis, quæ Pagani inter lamenta agebant, hac ratione innovaturi memoriam ejus luctus, in quem Isis amissa filia conjecta fuit: an non risu dignum, verba illius sunt, illud lachrymis prosequi, cui divini honores habentur, aut inter Numina reponere illud, quod merito lachrymas proliciat? *Nonne ridiculum est lugere, quod colas, vel colere, quod lugeas?* (a) Non minorem risus materiem petit D. Cyprianus ex ipso modo, quo plerique omnes ad Deorum digni-

(a) De Idolor. Vanit.

gnitatem ſunt provecti, Æſculapius, inquit, ut aras teneret, Jovis fulminibus eſt ambuſtus: Hercules, ut homine major videretur, ex œteo rogo inter Deos immigravit. *Æſculapius ut in Deum ſurgat, fulminatur: ut Hercules hominem exuat, œteis ignibus concrematur.* Non alia e re metiaris certius, quam jure putatia illa Ethnicorum Numina umbras inter, ſpectraque reponenda ſint. Inclareſcere poſſunt homines per exhauſtos bello labores, ad celebritatem evehi poſſunt, ſi cum ſiniſtra fortuna compoſiti, ejus ictus invicta ferant conſtantia, at ut ictus fulminum, ut ardentes rogi divinos cuiquam honores concilient, id novum adeo, inſolensque, ut jure monſtris accenſendum ſit.

Nihil delicatum magis, & illuſtre eſt, quam quod S. Eucherius ad Valerianum ſcribit de fluxis mundi gaudiis, ut illi contemptum ejusdem inſpiret. Crede mihi, res adeo pulchræ, quæ in oculos incurrunt, quibus olim id fulgoris inerat, ut nos perſtringerent, ſplendore hodie omni amiſſo languent. Vix mundo ſuppetit hodie, quo illudat. Hæ mundi pompæ natæ

velut nobis in fraudem impellendis decus omne amiserunt. Olim conabatur mundus nescio quo fulgore, cui veri quid subesse videatur, nobis imponere, at jam vel ficta quidem pulchritudo illum destituit. Nunquam non impostor mundus veris bonis caruit, nunc ne caduca quidem ostentare illi licet. Sane nisi ipsi fucum nobis facimus, mundo vix est, quo credulitatem nostram aucupetur. (a) *Quidquid est, illarum rerum facies adumbratis quondam nitoribus expolita jam obsolevit, omnisque fucatus splendor intercidit: vix jam hoc habet mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Prius nos seducere vero cogitabat fulgore, non poterat: prope jam non valet, & ipsa nos falsa ostentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Nisi nosmetipsi decipimus, pene mundus decipere nos non potest.* Sanctus subinde pleniore velut in lumine dicta sua collocat, & ubi dixit, mundi res non solum consenescere, & perturbato ordine retro ferri, adjungit, postremam hanc mundi ætatem malis redundare, perinde ut senectus

ob-

(a) Epistola ad Valeri. de contemptu mundi.

obrepens morbis conficitur. *Postrema mundi ætas referta est malis, tanquam morbis senectus.* In fatiscente mundo malorum genus omne, famem, pestem, bella, terrorem, vastitatem latissime diffusam perferre oportuit. Postremis his annis, quæ facile orbis pars languorum, deliquiorumque expers fuit? Junge his malis graviorum multo damnorum prænuntios Cometas, insolito fragorem immugientem terram, anni tempestates non statis amplius vicibus redeuntes, effusa ubivis monstra, quæ abunde comprobant, effœtum velut mundum ab exitio abesse proxime. *Quæ omnia adhuc procedentis prodigia sunt temporis, sed jam deficientis.*

S. Gregorius eandem fere cogitationem exprimit Homilia de SS. Martyribus Nereo, & Achilleo, festa eorum memoria occurrente. Vide, ut mundus, cujus amori nos penitus impertimus, non avertentibus pene effluat. (a) *Ecce mundus, qui diligitur, fugit.* Sancti, quorum tumulis affusi, vota facimus, contemptui habuerunt mundum, cum nihil dum de ejus vigore detractum esset, cum viridem, lon-

(a) Hom. 28. in Evang.

gamque ætatem homines agerent, cum nullis pene morbis eorum valetudo tentaretur, cum opes, & fœcunditas privatas familias felices redderent, respublica tranquillitate, maximo Superum munere frueretur. Et tamen mundi florentis adeo amorem e cordibus suis illi exturbarant penitus, nos, proh dolor, eum non uno defœdatum vitio, perinde ut si pristino splendore fulgeret, amplectimur: *Cum in se ipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret.* Quo oculos vertas, non nisi mortes, certamina, bellum obversantur, nullo non latere mille flagellis ferimur, servati velut unice adversis tolerandis, & tamen cupiditatibus abrepti, vel inter delicias ea, quæ amara propinat mundus, reponimus! elabitur nobis, nosque fugientem cum ardore insequimur, suis prope ruinis contumulatur, nosque in fatiscente firmas spes locamus. *Ipsas ejus amaritudines amamus; fugientem sequimur; labenti inhæremus.*

E Sancti Eucherii sententia tanto solicite magis in fastum depugnare oportet,

tet,

tet, quanto quis virtutem provexit amplius: ratio, qua ſuam comprobat ſententiam, ſane quam aptiſſima eſt: nam, ut inquit, alia vitia ſua incrementa debent vitiis, vana gloria ipſis e virtutibus enaſcitur. (a) *Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficieris. Cætera enim vitia creſcunt vitiis, vanitas virtutibus.*

Quod S. Bernardus ad Robertum Nepotem ſuum ſcribit, ut illum animet ad tolerandum religioſi inſtituti rigorem, æquitati apprime conſentaneum eſt. Vigiliæ te terrent, jejunia, duri labores, attenuando corpori cumprimis idonei: ſed hæc vix ullo doloris ſenſu feres, ubi æternos ignes animo repetieris. (b) *Vigilias times, & jejunia, manuumque laborem: ſed hæc levia ſunt meditanti flammas perpetuas.* Sola inferni cogitatio horrorem ſolitudinis in delicias vertet. Si bene repetas, quam diſtricta ratio vel de verbis nullo fructu prolatis ſit reddenda, ſilentium dulceſcet. Denique fletus ille, & ſtridor dentium, cujus ſacræ literæ mentionem injiciunt, attentis

(a) Epiſt. ad Valer. de mundi contemptu.
(b) Epiſt. I.

paulum oculis lustratus efficiet, ut vix agnoscas, quid discriminis stoream inter, plumasque intercedat. *Fletus æternus, & stridor ille dentium ante oculos cordis reductus pares tibi reddet mattam, & culcitram.*

Teste S. Cypriano tum magnitudinem Numinis pro eo, ac par est, experimur, dum palam confitemur, DEI esse eam sublimitatem, quæ animi nostri sensa omnia effugiat. (a) *Sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Epitaphium Nepotiani, nepotis Episcopi Heliodori, compositum a S. Hieronymo, & inscriptum ipsi Heliodoro in eo scriptionis genere versatur, in quo vita agricolæ composita a Tacito. Gemina illa opera non tam similia sunt, quam paria. (b) S. Hieronymus epitaphium modo vivido prorsus, & concitando affectui opportuno inchoat. Professus primum, ipsa materiæ magnitudine humilia ingenia opprimi, seque volentem supremum honorem charo Nepotiano habere, nec lingua, nec manu, nec oculis consi-

 stere,

(a) De Idol. Vanit. (b) hp. 3.

ſtere, ſubjungit. in more olim poſitum fuiſſe, ut filii parentum ſuorum cadaveribus affuſi eorum laudes exequerentur, & Auditorum lachrymas prolicerent, at nunc rerum mutatum ordinem, quodque inter graviſſima fortunæ vulnera cenſendum, ipſam naturam a ſuis abiiſſe legibus officia, quæ a juvene præſtanda fuerant ſenibus, nunc a ſenibus impendenda juveni. *En rerum in nobis ordo mutatus eſt, & in calamitatem noſtram perdidit ſua jura natura: quod exhibere ſenibus debuit juvenis, hoc juveni exhibemus ſenes.* Ad mitigandum dolorem Heliodori illum ſic alloquitur: noli luctui nimium ob jacturam nepotis indulgere, gaude magis, nepotem tam raræ tibi virtutis obtigiſſe. *Ne doleas, quod talem amiſeris, ſed gaudeas, quod talem habueris.* Nepotianus ſingulis virtutibus ita effulgebat, velut uni obtinendæ ſe prorſus devoviſſet. *Ita in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi cæteras non haberet.* Sacerdotii honorem merebatur, dum eum deprecabatur, eoque dignior ſublimi illo faſtigio erat, quo aperte magis ſuis illud meritis ſuperius fatebatur. *Merebatur negando, quod eſſe nolebat; eoque dignior erat, quo ſe cla-*

mabat indignum. Clericatum non honoris, ſed oneris inſtar duxit, curasque omnes in eo repoſuit, ut demiſſione omnem effugeret invidiam. *Clericatum non honorem intelligens, ſed onus, primam curam habuit, ut humilitate ſuperaret invidiam.* Sacerdos inter, eosque, qui parem cum ipſo ætatem agebant, plurimum ſibi laboris imperabat, immemor prorſus, ut functionibus illis reſpondentes honores capeſſeret. *Primus in opere, extremus in ordine.* Benefacta ſua ad unius avunculi ſui referebat gloriam, cujus ſe nempe unice imperiis ſtare edicebat. Si quæ res minus e voto flueret, errorem ſibi imputabat. Quidquid virtuti durum, auſterumque ineſt, vultus ſerenitate mitigavit. Riſus ipſe non niſi modeſtiam ſpiravit, index lætitiæ, non effuſionis. *Gravitatem morum hilaritate frontis temperabat, gaudium in riſu non cachinum intelligens.* Veſtitus ut neminem ob ſplendorem perſtringebat, ita nec ob ſordes offendebat. *Cultus ipſe nec munditiis, nec ſordibus notabilis erat.* Utut animi ductu in avias ſolitudines raperetur, tamen apud Heliodorum ſemper perſtitit, in quo uno tot virtutes

ex-

expressas legebat. *In uno atque eodem & imitabatur Monachum, & Episcopum venerabatur.* Virginibus, & viduis Christi honorem ut Matribus habuit, ut sororibus cultum, institutionemque omnem impendit. *Virgines, & viduas Christi honorare ut Matres, hortari ut sorores.* Assidens mensæ ita delibabat omnia, ut nemo eum quibus vanis nescio religionibus actum accusare posset, ea tamen præprimis cura habita, ut ne quid in temperantiæ leges admitteret. *Sic apposita quæque libabat, ut & superstitionem fugeret, & continentiam servaret.* Super ipsa mensa sacris e literis petitum quid proponere nunquam non solebat, aliorum sensa accipere avide, respondere verecunde, eas partes amplecti, quas vero propiores ducebat, neminem insolenter, quod alienum prorsus a decoro credebat, refellere, adversæ sententiæ adhærentem magis instruere; quam vincere. *Respondere verecunde, recta suscipere, parva non acriter confutare, disputantem contra se magis docere, quam vincere.* Denique non sine ingenuitate, quæ ætati illi apprime convenit, palam profiteri, quid e quovis Ecclesiæ Patre didicisset; Hoc,

dicebat, e Tertulliano petii, hoc Cypriano Magiſtro accepi, ita ſentit Lanctantius, illud Hilarii eſt, hac ratione Minutius Felix eſt locutus, iſtud Arnobius hoc modo exposuit. Ita fugiens eruditionis gloriam ingentem doctrinæ famam eſt aſſecutus. *Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando eruditiſſimus habeatur.*

S. Hieronymus finit elogium Nepotiani deſcriptione mortis vivida, cui picturam velut adjungit omnium calamitatum, quibus illa cumprimis tempora inhorruerant, quibus plures Principes perierant, integræ nationes promiſcua cæde deletæ, florentes provinciæ everſæ erant penitus; quibus enarratis adjungit: Felix Nepotiane, quem mors triſti adeo ſpectaculo abſolvit! *Felix Nepotianus*, *qui hæc non videt*! Felix, qui ne ſermonem quidem de his inferri audit! ſed nos miſerrimi, ad quos aut calamitatum earum pars multo maxima redit, aut certe ingemiſcentes ſub his fratres noſtros videmus: vitam tamen in votis habemus, tantumque abeſt, ut eos, qui malis

his exemti ſunt, felices ducamus, ut eos etiam lachrymis proſequamur!

Jam ante Sanctus Heliodoro dixerat: vulgo a lachrymis dolori ſuo medelam licet petere, at Reges, multoque magis Epiſcopi ſua ſe unice conſtantia debent erigere. *Licet lachrymari plebi, Regi honeſte non licet, ut Regi, ſic Epiſcopo; immo minus Epiſcopo, quam Regi*, Pone lachrymis modum, ne infideles, ubi nimium quam tenero in Nepotem animo te viderint, id e deſperatione in DEum profectum credant. *Ne grandis pietas in Nepotem apud incredulas mentes deſperatio putetur in DEUM. Deſiderandus eſt tibi quaſi abſens, non quaſi mortuus, ut illum expectare, non amiſiſſe videaris.* Verum quid ago, adjungit Sanctus, volens mederi dolori, cui jam tempus, & ratio, ut puto, medelam tulerunt? cur non potius tibi ſpectandos funeſtos eventus vicinorum principum objicio, & ſiniſtros caſus, quibus ſæculum noſtrum conflictatur, ut non tam lachrymæ tibi effundendæ ſint, quod de Vita hac exiverit, quam gaudendum, quod tantis feliciter malis ſit abſolutus? *Ut*

non

non tam plagendus sit, qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei, qui de tantis malis evaserit. Post hæc omnia S. Hieronymus se reprehendit, & ingeniose concludit. Ultra modum justæ consolationis provectus sum, & ut te avocarem a deflendo uno mortuo, mortes totius orbis deflevi. Excellimus consolandi modum, & dum unius mortem flere prohibemus, totius orbis mortuos planximus.

Tertullianus, ut ludibrio Ethnicorum Deos exponat, antiquam legem affert, qua vetabatur, ne quis ab Imperatore inter Deos referretur, nisi Senatus author fuisset: (a) *Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus.* Et subjungit eleganter: Divinitas apud vos hominum suffragio dispensatur, si quo infortunio eveniat, ut Deus quispiam homini minus probetur, divinos honores minime feret. Necesse jam est, ut is, qui adorabitur, homines sibi demereatur: *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur: nisi homini DEus placuerit, DEus non erit.*

Apolo. c. 5.

erit. Homo jam DEO propitius esse debebit.

S. Augustinus amœne exprimit perturbationem, & domesticas velut peccatorum furias, qui pertæsi præsentem conditionem, solatii quidpiam a se, animoque suo petere volunt, quod tamen pro lenimine plures, gravioresque perturbationes excitat: hos Sanctus comparat cum maritis, qui uxores, jurgia ubivis serentes, nacti sunt: hi, inquit (mariti nempe) totos prope dies extra ædes suas agunt, & vel sola cogitatio revisendæ domus pene ad desperationem eos agit; norunt enim ferendum sibi domi, quidquid ab indole corrupta, turbisque excitandis nata tolerandum est: (a) *Intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines.*

Ratio, quam affert S. Gregor. Naz.: quare Julianus Apostata morte horrifica adeo sit abreptus, pulchra, & magnifica est. (b) DEus, inquit, in more habet impietates sacrilegas prorsus, crudelitates barbaras e medio tollere, dedidiscit quodam modo lenitatem, patientiamque omnem metuens, ut videtur, ne modum plane omnem ex-

(a) In Psal. 32. (b) Orat. 4.

excedens bonitas offendiculo sit non piis modo, sed & ipsis impiis: vindictam exerit, ne homines, si nulla sceleri irrogentur supplicia, fato, aut cæcæ fortunæ arbitrio ferri omnia autument, ne credant, humanarum rerum rationem negligi a providentia, aut neminem cælo præsidere autument, qui pœnas, aut prœmia, ut cujusque fert meritum, dispensare possit.

Cogitatio, qua S. Basilius inchoat elogium S. Martyris Barlaam, est ex earum genere, in quibus nullus ab arte petitus splendor tralucet, & quas ipsa oppositio jucundiores reddit. (a) Non major alias, ait, defunctis honor habebatur, quam cum eorum morti lachrymarum velut tributum dependeretur: Josephus lachrymis dolorem suum ob Jacobi mortem est testatus, ob Moysis mortem Judæi omnes in lachrymas ierunt. Nos contra Sanctorum merita gaudio nostro contestamur. Res tristissimæ ceteroquin suam velut naturam posuerunt ab eo inde tempore, a quo DEI filius in crucem est actus. Morti justorum non jam amplius gemitus affunduntur, lachry-

(a) Hom. 18. de Barlaam Mart.

chrymarum in locum eorum tumuli jucundi canticis personant, interno gaudio foris emicante.

Salvianus pauculis quidem, gravibus tamen verbis exprimit effigiem quorundam senum, voluptatibus prorsus immersorum, qui fatiscentibus quantumvis viribus, nulla ratione ætatis vergentis habita, nullum voluptatum genus a se alienum ducunt. Jocantur, ait, vino madent, festis omnibus adsunt ut juvenes, quibus veniam facilius immatura ætas impetrat: alias, vix illis id virium suppetit, ut fugientem velut vitam retineant, ultimas tamen virium reliquias colligunt, ne cui in siccandis poculis cedant: vix firma vestigia titubante jam pede imprimere norunt alias, & tamen vel in devexa hac ætate choreis vacare probro non ducunt. (a) *Ad vivendum prope jam imbecilles, ad vinum prævalidissimi, infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum, ad gressum nutabundi, ad saltum expediti.* Præter annos nihil eos inter, infantesque discriminis intercedit, in utrisque eandem jocandi licentiam videas.

Idem

(a) Lib. 6, de Provi.

Idem Pater, qui Jeremiæ inſtar eo, quo vixit tempore, omne mortalium genus ad DEum revocare adlaboravit, magno ſpiritu, zeloque in eos invehitur, qui opum ſuarum magnitudinem in alienis ruinis conſtituunt: poſtquam dixit de dignitate, potentiaque eorum, quos mundus ob magnitudinem ſuam miratur, adjungit: quid illa aliud eſt præter publicam deſolationem provinciarum, & populorum calamitatem? ut pauci ad altius faſtigium attollantur, diripiuntur, & evertuntur regna. Unius hominis magnitudo totius orbis ruinis ſtabilitur. (a) *Ut pauci illuſtrentur, mundus evertitur, unius bonor orbis excidium eſt.*

S. Paulinus ingenioſe explicat, quod Chriſtus in evangelio docet: armata nempe manu aſſerendum eſſe cœlum. Infer, ait, DEO vim, qui vetuit, ne aliena contingerentur; ille non ſine gaudio ſuis manum injici videt, qui condemnavit eos, quos avaritia ad violentiam impellit, laudat eos, quos fides ad eam exercendam animat: (a) *Eſto violentus DEO, rape regna cœlorum. Qui vetat aliena* con-

(a) Epiſt. 34.

tingi, ſua gaudet invadi, & qui damnat avaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam. Tertullianus ſimile quid affert de precibus, quas communes primi Chriſtiani fundebant: conjungimur, certi prius finem precibus non imponere, quam votorum damnemur: violentiam hanc ratam habet Deus. (a) *Coimus ad Deum; quaſi manu facta precationibus ambiamus, hæc vis Deo grata eſt.*

Diſcrimen, quod S. Chriſoſtomus Herodem inter, & Joannem Baptiſtam annotavit, dignum eſt memoratu. Ille pauper, rebusque omnibus ſpoliatus in Principem inſurgit, & innatantem ſuis deliciis percellere non dubitat; Princeps vero tantæ potentiæ ictus minis vel ſuo ſolio diffidit: in peremti caput vel oculos defigere trepidat: caput illud truncatum, & rorans ſanguine novos terrores ejus animo ingenerat: ſola Prophetæ recordatione metu percellitur. Audite, quid Evangeliſta teſte edicat, dum famam prodigiorum Chriſti accipit: *Iſte eſt Joannes, quem juſſi occidi.* Non ira, non ſuperbia, unus terror has voces exprimit; ſolatium aliquod conquirere, ſecuritatem quampiam

(a) Apol. c. 39.

piam præstare sibi cupit, dum ejus imaginem revocat, quem quod perimi jusserit, pœnitudine nunc tangitur: ea nempe virtutis est vis, ut vel mortua de vivis triumphos legat.

Ut receptus in bello multum habent commendationis, ita mortes gloriosæ sua laude non carent, quin ipsis per temeritatem unice relatis victoriis præferuntur. Hoc in loco S. Ambrosius reponit mortem Judæ Machabæi, qui Nicanore Demetrii Præfecto profligato, centum non nisi suorum pugnacissimis stipatus, exercitum e viginti facile millibus conflatum aggressus, lethali vulnere est perstrictus, dum aversum in fugam hostem acerrime persequeretur: reperit, dicit Sanctus, mortem præ triumphis ducendam: (a) *Gloriosiorem triumphis mortem invenit*,

Idem Pater de Eleazaro, qui fervente maxime prælio, viso Elephante regiis insignibus instrato, ex iis phaleris Regem mensus, in ipsos se hostium cuneos conjecit, prostratis, qui utroque obstabant latere, ad Elephantem tandem per cædem penetravit, ventrem, qua

(a) De Offic. lib. 1. c. 41.

qua vulneri patet, ferro hausit, dum mole prolabentis animalis prosterneretur, & suo velut triumpho contumularetur: (a) *Suo est sepultus triumpho.* Postremæ hæ voces grande quid spirant.

(b) Quantum non lucri, & meriti, dicit S. Eucherius, e solitudine referri potest, qua una præstatur, ut dæmon in Paradiso terrestri victor, prosternatur? *O laus magna deserti! ut diabolus, qui vicerat in Paradiso, in eremo vinceretur.* Quantum non abditæ illæ solitudines gaudii affundunt iis, qui ad Deum votis suis feruntur? vastæ illæ, & horrentes eremi quam amœnæ sunt iis, qui Jesum Christum quærunt? nullam ubi vocem proferri audis, profundoque huic silentio debetur, quod anima cœlesti pascatur gaudio, novos sibi stimulos ad virtutem addat, & in uno Domino suo conquiescat. *O quam jucundæ sunt sitientibus Deum etiam deviæ illæ saltibus solitudines! quam amœnæ sunt quærentibus Christum illa secreta, quæ longe, lateque excubante natura porrecta sunt.* Non alium tumultum, quam eum, quem gemitus, & suspiria cient, est audire, non aliam vocem, nisi quæ

 ad

(a) Cap. 40. (b) Epist. ad Hilar. de erem.

ad Deum mittitur. Quod adjungit Sanctus de felicitate solitariorum, solitudinem amœniorem reddit: non alio votis, non alio desideriis aspirant, nisi ad eum unum, cui omnia sua desideria devoverunt: vitam felicem inquirunt, qua jam perfruuntur, in ipsis laboribus præmium jam eorum tenent, nam felicitas, quæ præclaris meritis respondebit, jam a viventibus tenetur. *Nihil concupiscunt, nihil desiderant, nisi eum solum, quem desiderantes concupiscunt: dum beatam quærunt vitam, beatam agunt, & dum adhuc ambiunt, jam consequuntur. Habent etiam in labore ipso præmium laboris, quia pene jam in opere est, quod merces erit.*

Consilium, quod S. Bernardus suppeditat Eugenio, ad supremum fastigium, quod ab homine teneri potest, evecto plenum est corroboratæ eloquentiæ:

Numinis consilio evectus es ad stationem præ quam antea honoratiorem, sed in qua sine metu vix tibi vivere licet: non alius est locus, qui plus tibi terroris inspiret. (a) *Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste.* Locus ipse, cui insistis,

(a) Ep. 237.

ſtis, ſanctitatem ſpirat; quippe ille ipſe, quem Petrus, Apoſtolorum Princeps tenuit, quem Dominus Magiſtrum, bonorumque omnium Oeconomum conſtituit, ſi per ſummam calamitatem a via Domini deflexeris, in mentem veniat, quod ille, cujus locum tenes, in eodem loco ſepultus ſit, & vitæ aliquando redditus ſuo te teſtimonio ſit condemnaturus.

S. Baſilius, quem Eraſmus, minime mollis Cenſor, jure optimo inter Principes Romæ, Græciæque Oratores reponit, eloquentiam ſuam in Homilia de S. Barlaam prodit: (a) Deſcriptio furentis tyranni, & invicti Martyris conferta eſt expreſſionibus admirandis prorſus, quarum poſtremam tacitus prætерire non poſſum. Ubi Sanctus enarravit, Divi manibus a tortoribus incenſum impoſitum fuiſſe, quod crederent, flammæ longius ferendæ imparem thus in ignem injecturum, qua quidem in re ſpes, conatusque omnes irriti evaſerunt, ſubjungit: ignis ille quidem manum adurebat, quin tamen ardore ſuo illam commoveret: Sanctus flammarum ſævitiæ obſtitit, & non modo non igna-

(a) Hom. 18.

vorum more, fuga inimicorum ictus evitantium, terga vertit, sed etiam immotus perstitit, animatus iis Prophetæ vocibus: *Benedictus Dominus Deus, qui corroborat manus meas ad prælium, & digitos meos ad pugnam.* Si rem ipsam suis momentis metiamur, pugnæ quidpiam inter ignem, manumque intercessit, ut tamen ignis ex ea inferior abiret. Manus victrix flammæ perstitit, & utut in partes omnes, novum vulneri vestigans locum sese insinuaret, ne suum quidem situm mutavit. Invicta prorsus manus petra, ferro, & ære durior, quæ flammarum nempe vi solvuntur. Quo te nomine invicte Christi Martyr compellabo? spirantemne te dicam statuam? sed compellatio ea tuis meritis est inferior, flammæ emolliunt, absumuntque statuam. Nominabo te animatum æs? sed animi tui subliniorem quandam comparationem deposcunt. Tibi ignis, cujus tantum alias est imperium, cessit. Tu manum flammas inter in altare vertisti. Tu solus ardente manu in ruborem dedisti potestates tenebrarum. Tu solus manu in cineres redacta triumphum de dæmonibus vel hodie agis. Sed quid rudi mea laudatione magis victoris laudes detero? laudandi officium in eos con-

fera-

feramus, quibus plura præsidia sunt. Adeste, quotquot heroa athletarum facinora nostis exprimere: Martyris acta plena in luce collocate, cum ego illa designarim duntaxat, & ruditer adumbrarim. Gaudebo, si pictura vestra meam obscurarit, diffluam gaudiis, si magnis Magistris me succubuisse intellexero, modo major ad victorem honor redeat, modo expressum in vestra tabula videam in furias, planctusque actos dæmones Sancti victoriæ invidentes; monstretur modo manus illa ardens, sed simul insultans dæmonibus, novaque iisdem, acrioraque irrogans supplicia. Denique referatur modo JESUS, quantus est, dum omnem suam gloriam expromit, & meritam coronam decernit illi manui, quæ igne, ipsoque inferno superior fuit.

Laus, qua S. Bernardus Theobaldi Comitis animum fuci omnis expertem prosequitur, est exquisita: aliis Principibus, ait, si quod verbum veritati repugnans effluxerit, non novum id, insolensque erit: sed simile quid in Theobaldo Comite ne rigidissimus quidem Censor detegere potuit; verbum quodvis sacerrimi jurisjurandi locum habuit, mendacium utut levissimum perjurium

duxit: (a) *Cui ſimpliciter dicere jurare eſt, & leve mendacium grave perjurium imputatur.*

Cum de S. Joanne Baptiſta, & Herodiade ſanctus Fulgentius loquitur, fœminas, & cumprimis dignitatibus ſpectatas moles tum ſemper negotium Sanctis ait faceſſere. (b) *Neſcio, quid ſemper habet muliebre nomen cum Sanctis.* Elias, cujus ſpiritu, Chriſto teſte, S. Joannes agebatur, hoſtem perpetuam Jezabelem habuit, cujus ut inſectationes evitaret, vitam totam perpetua fuga conſignavit, cujus iræ, quo ſe ſubduceret, cœlo ſe, ſi licuiſſet, vel vivus abditurus fuerat. Fœmina, quemcunque demum ſumat habitum, nunquam non novos metus ingenerat: ut placere velit, aut placeat, perimit: ipſa illius amicitia, ipſæ illius illecebræ veneni inſtar enecant; ſi irritato ſit animo, modum in vindicta tenere neſcit. *Quam dum fugit, totam vitam ſuam in fuga contrivit, cujus tantum timuit gladium, ut vivus fugiſſet in cœlum. Quocunque pacto perſequitur mulier: ſi placeat, jugulat, ſi diſpliceat, pejus excruciat.* Tormentum nullum eſt, quod non

(a) Epiſt. 38. (b) Super Evang. S. Math. Audivit Herod.

non odium fœminæ excedat: præstat tamen, ut illius furor vitam vobis corporis adimat, quam ut illius blanditiæ vitam animæ perdant.

S. Cyprianus vivis velut coloribus depingit crudelitatem in spectaculis exercitam: Mors aliquot hominum inter delicias reponitur, ut cruenta nempe scena barbariem, & inhumanitatem inspiret: ceu vero non satis foret, privatim hominem crudelitatem expromere, nisi palam edoceretur, quibus viis ad exaggeratam sævitiem perveniri possit. (a) *Inter voluptates spectantium quorundam mors erogatur, ut per cruentum spectaculum sævire discatur; quasi parum sit homini privata sua rabies, nisi illam publice discat.* Ut homo trucidetur, prosequitur Sanctus, nutritur ferox bestia, & ad delicias nutritur, ut in conspectum populi atrocius desæviat, fors non perinde crudeles infixura ungues, si, qui eam instituit Magister, non ad eum furorem illam imbuisset. *Ad pœnam hominis fera rabida nutritur in deliciis, ut sub spectatorum oculis crudelius insaniat: erudit artifex belluam, quæ clementior*

 for-

(a) De spectaculis.

fortasse fuisset, si non illam Magister crudelius sævire docuisset.

Idem Pater a crudelitate theatri sermonem vertit ad impudicitiam, quæ ibi, si alibi unquam regnat. Hominum agmina, dicit, concurrunt ad locum, e quo pudor omnis exulat: palam ibi omnis impudicitia docetur, ne quem pudeat ea privatim in opus deducere, quæ palam exercuit. *Concurritur in illud publici pudoris lupanarium ad obscœnitatis magisterium; ne quid secreto minus agatur, quam quod in publico discitur.* Quod legibus vetitum est, inter ipsas leges palam edocetur. *Inter ipsas leges docetur, quidquid legibus interdicitur.* Postea zelo provectus exclamat: qui fieri potest, ut is, cui ne quidem per religionem suam cogitare licet de rebus, quæ verecundiæ repugnant, spectacula cum voluptate spectet, quorum visu pudorem exuat, & vel infanda crimina sine ullo animi angore admittat? *Cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur simulacris libidinis, ut in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina.* Res, qui in theatrum inferuntur, eum infamiæ gradum attigerunt, ut vel ipsæ, quæ pudorem jam pridem omnem abjecerant,

fœmi-

fœminæ ſpectantium oculis objici erubeſcant. *Erubeſcunt videri, etiam quæ pudorem vendiderunt.*

De indomitis affectionibus S. Paulinus ait, illud jure uſurpes, quod ſirenibus Poetarum fabulæ tribuerunt: dulcedine, qua neſcio, niſi primo aſpectu eas metiaris, blandiuntur, ſed deguſtatæ paulum non niſi amaritiem, & venenum propinant, blandiuntur ſenſibus, animo venenum miſcent, carnem mulcent, cor corrumpunt; uſus eſt ſceleratus, & fructus morte rependitur. (a) *Quod illæ ſirenæ fuiſſe finguntur, id vere ſunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum: habent in ſpecie lenocinium, in guſtu venenum. Uſus in crimine, pretium in morte numeratur.*

S. Hieronymus invitans nobilem Matronam Romanam ad receſſum Betlemiticum, confert Romam cum Bethlehem modo non minus ſimplici, quam nobili: Hic ille eſt, dicit, extremus orbis angulus, in quo mundi Creator lucem aſpexit: hic faſciis involutus, a paſtoribus agnitus, oſtenſus a ſtella, & a Magis eſt adoratus. Hic locus ſanctior eſt,

(a) Epiſt. 39.

est, ut autumo Capitolio, quod toties ictum est fulminibus ab irato cœlo, contestari volente, quo illud in loco ducat. (a) *Puto sanctior locus est rupe Tarpeja, quæ de cælo sæpius fulminata ostendit, quod Deo displiceat.* Non abnuo, Roma est, ubi Ecclesia residet, ubit ot Apostoli, Martyresque illustria sua trophæa defixerunt, unde fides annuntiata, totum per orbem est diffusa, hic protrita sunt idola, hic nomen Christianum ampliora indies capit incrementa; sed nec illud quis abnuet, Romæ quoque ambitionem, & vanitatem regnare, non videre minus, quam videri in deliciis esse, recipi, exhiberique vana officia, laudes, & maledicentiam misceri, audiri, & rursum impertiri nova, ut inundante populo, ita perturbatione vivi: quæ omnia cum spiritu solitariorum, & quiete eremi minime componi possunt.

Cogitationes Tertulliani de luxu, & cultu mulierum illustres sunt, sed naturales, & ex ipsis rerum causis petitæ. Initium sermonis inde ducit, quod dicat, fœminas, si viva fide animatæ essent, animumque ad conditionem suam referrent, pro eo, ut mundum splenditum

(a) Epist. 18. ad Marcel.

ditum affectarent, conaturas magis, ut lugubri habitu comparerent. (a) *Nulla omnino vestrum lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetiisset, ut non magis in sordibus ageret, & squallorem potius affectaret.* Filias, subdit, illas esse matris sceleratæ, & infelicis, æquum proinde esse, ut toto habitu non nisi lugentem Evam ostentent, quo hac ratione rigore extero expient prorsus, quod de peccante Eva traxerunt. *Ipsam se circumferens Evam lugentem, & pœnitentem, quo plenius id, quod de Eva trahit, omni satisfactionis habitu expiaret.* Sermonem deinde ad fæminas vertens, dicit: vos illæ estis, per quas primus in orbem hunc aditus dæmoni patuit, vos primæ ad vetitum fructum manum porrexistis, vos illum, quem ne aggredi quidem dæmon est ausus, in ruinam impulistis, vos Dei imaginem tum admodum impressam defœdastis. Et his perpetratis ornari cupitis, non de alia re, quam ornatu cogitatis, ceu eum velletis pelliceis tunicis addere, quibus Deus primam mulierem induit? *Et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas.* Acrius subinde cogitationem prosequitur Tertullianus: Dicite mihi,

vos

(a) De cultu fæminarum l. 1.

vos precor, si agnatæ jam mundo fuissent vestes ex serico, & coccino sive pictæ, sive textæ, si uniones jam tum scintillassent, si ipsum quoque aurum ex terræ visceribus sponte effusum fuisset, denique si jam quis honos speculo fuisset, illi speculo, quod fœminæ consulunt se comentes, aut jam comptæ, ad decipiendum velut ipsum speculum, quod illis mentitur, & pulchriores, quam nativa earum forma sit, refert, en Eva e Paradiso terrestri ejecta, morti addicta, quin a mortua vix distans hæc omnia inquisivisset? *Si ipsum quoque aurum jam de terra cum cupiditate prodiisset. Si jam & speculo mentiri liceret, hæc Eva concupisset de Paradiso expulsa, jam mortua opinor!* Idem Pater omnes istos ornatus, quos vanitas invenit, nominat impedimenta fœminæ ad mortem condemnatæ, quin mortuæ, supremum tumuli honorem, ornamenta condecorandis exequiis destinata. *Omnia ista damnatæ, & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.* Loquens de gemmis pretiosis, quas fœminæ capiti suo imponunt, dicit, eas de serpentis capite petitas esse, & adjungit eleganter: id nempe unum Christianæ deest, ut serpenti debeat, quo

no-

novum pulchritudini suæ splendorem addat? sic proteret serpentis caput, postquam e capite dæmonis ornamenta pro suo mutuata est, *Hoc quoque deerit Christianæ, ut de serpente cultior fiat: sic calcabit diaboli caput, dum de capite ejus cervicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit.* Cogitatio ingeniosa est, & ex earum numero, ubi proprium translatum est ad figuram, & figura ad proprium verus serpens ad dœmonem, & caput dœmonis ad caput serpentis. Non hic consistit Tertullianus: postquam annotavit ingens illud & exaggeratum pretium, quo panni, teniæ torques gemmatæ, inaures, fibulæ auro, & gemmis ardentes starent, exclamat: Vide, quo vanitas pertingat! corpus fœminæ, utut exile tantos reditus, opesque gestat. *Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare.* Acrius adhuc Tertullianus in artificia invehitur, quibus sexus hic utitur, ut formam illustret: illæ, dicit, quæ cutem suam certis quibusdam medicamentis curant, cerussa genas pingunt, supercillia denigrant, ipsi Deo injuriam inferunt: nam ipsius Dei opus minus probant, inveniunt, quod in rerum omnium Condito-

re

re reprehendant: reprehendunt enim, dum corrigunt, dum quidpiam ei, quod Deus ſtruxit, adjiciunt, & ab ipſius Numinis hoſte illa additamenta mutuantur. *In illum delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Diſplicet illis nimirum plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehenduntque artificem omnium: reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciant utique ab adverſario artifice ſumentes additamenta.* Ecquis enim alius auderet corpus mutare, quam qui ſpiritum hominis vitiavit? ille haud dubie mutationum omnium eſt author, cujus ab ingenio fucus, pigmentaque omnia ſunt profecta. Quod natura nobis contulit, Dei eſt opus, quod ab artifice eſt petitum, authori diabolo eſt adſcribendum. *Quod naſcitur, opus Dei eſt; quod fingitur, diaboli negotium eſt.* Sed proſequitur Tertullianus, Chriſtianas fœminas alloquens: picturatum vultum gerere, alienum eſt a fide, quam profitemini, a nomine, quo gloriamini, ſimplicitas vobis in omnibus rebus principe ſemper loco ducenda eſt, voce mentiri interdictum vobis eſt, & qui licebit vultu? *Faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur; effigie mentiri,*

tiri, quibus lingua non licet. Indecorum est, vultu velut adulterium a vobis perpetrari, quibus pudicitiæ prima semper cura habenda. *Adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiæ sit. Quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes?* In fœminas subinde debacchatur, quæ colorem capillorum mutant, quæ natæ cum nigris, vel canescentes jam, croceum colorem affectant: credunt, inquit, formam commendari, si pulvere, & oleo se contaminent, velut sordibus, & fœtori cum pulchritudine bene conveniret. *Decorum putant, quod inquinant. Quæ cum immunditiis pulcbritudo?* Dominus dicit, adjungit, quæ de vobis albos capillos in nigros, nigros in albos potest convertere? Illæ nihilominus: *revincunt Deum, ecce inquiunt, pro albo, vel atro flavum facimus, gratia faciliorem, atrum ex albo conantur facere, quas pœniteat senectam usque vixisse, erubescit ætas exoptata votis: furtum conficitur, adolescentia, in qua delinquimus, suspiratur: occasio gravitatis interpolatur.* Vetulæ præ aliis, quas velut pœnitet hucusque productæ vitæ, quas ætatis pudet, postquam toties vota fecerunt, ut eam attingerent, annis, quantum per artificia licet, se ex-

ſpoliant, nihil non agunt, ut juventutem in vultu ſuo revocent. Anxiis votis juventus expetitur, per quam tantum ſcelerum eſt admiſſum; proſcribitur qua licet ſenectus, quæ tamen ſapientiam, & gravitatem jure velut ſuo expoſcit: ſed fruſtra agitur, tanto enim rugæ ſe produnt clarius, quanto plus ſtudii in iis celandis ponitur. *Senectus, cum plus occultari ſtuduerit, plus detinetur.* Quod eodem loco commemorat de pœna, cui ſe ultro addicunt fœminæ capillos ſuum in ordinem reponentes, de altitudine ipſius capitis ornatus, contignationibus veluti monſtro ſimillimis, acre eſt. *Quid tanta ordinandi crinis operoſitas? affigitis neſcio quas enormitates capillamentorum, in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis.* Sed quod ſequitur, magis mirandum eſt. Vano labore in ornatu capitis deſudatis: Deus juſſit vos velari: an cum in vitam redibimus iterum, vos de tumulis fuco tectæ, cum fictitiis crinibus, hoc ſuperbo capitis apparatu prodituræ eſtis? & num angeli vos in hunc modum effictas ſupra nubes elatas Chriſto ſtituri ſunt? *Deus vos velari jubet. Videbo an cum ceruſſa, & purpuriſſo, & croco, & illo ambitu capitis reſurgatis?*

an

an taliter expictas Angeli in nubila sublevent obviam Christo. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.

Teste S. Bernardo, inter consummatæ virtutis homines non est censendus, qui non præsentem suam conditionem pertæsus ad virtutem majorem provehi adlaborat: & quisque vel eo perfectum se probat, quod ad majorem perfectionem curas, conatusque suas porrigat. (a) *Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit: & in eo quisque perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem.* Cogitatio vera est, & non minus ad Christianæ vitæ, quam rationis leges exacta. Non alia fere sunt, quæ S. Hilarius Archiepiscopus Arelatensis in Panegyri S. Honorati dixit: Quantum nulla non virtute insignis esset, modum tamen reperit partas jam virtutes novis, præclarioribusque augendi. *Semper in sumitate virtutis positus, semper, quo crescere posset, invenit.*

S. Gregorius Nazian. elogium S. Athanasii ducit a dicto, quod integræ Panegyris locum explet: (b) Magnum Athanasium laudans, ipsam virtutem lau-

d 2

(a) Epist. 34. (b) Orat. 11.

laudo. Confert deinde Athanasium Prophetis, Apostolis, Eremitis, celeberrimis, quos Ecclesia unquam habuit, Doctoribus: palam dein edicit, quod illustris hic vir æquaverit illos, quod expresserit in se eloquentiam, & scientiam horum, zelum, & pietatem istorum, humanitatem, & bonitatem illorum, vigorem, & severitatem aliorum, ad quos imitatione accessit, secutus sit peritos artifices, qui ut imaginem quampiam numeris omnibus absolvant, variis e pulchritudinibus varia eaque non nisi venustissima mutuantur. Aucturus subinde Divi laudes adjungit: cor demissum Athanasii, quo sibi velut evilescebat, nihil de more agendi nobili detraxit: virtute adeo eminente fuit, ad quam nemo aspirare posset, ut erat genio facili, moribusque apprime cultis, nullum suo accessu arcuit; colloquia illius mira suavitate condita erant, quæ tum clarius se prodebat, cum quis illi insuevisset familiarius: aspectu, multo magis autem animo Angelum referebat: a correptionibus acrimonia, a laudibus fastidium aberat: in reprehensionibus ipsis Patrem, eumque amore dignissimum minime posuit, laudes non parce in meritos, sapientis tamen instar judicis

dicis diſpenſavit, modum in utroque juſtum tenuit, ut humanitas gravitati, gravitas humanitati minime obſtaret.

Gaudeamus, verba S. Leonis ſunt, pro eo, ac par eſt de tam ſublimi myſterio, quod tantam miſericordiam complectitur, minime vobis loqui licere: gaudeamus, aperire non poſſe, quid abditi ſalus noſtra habeat: apponamus lucro, finem nos ejus attingere non poſſe: nemo enim veritati cognoſcendæ proprior, quam qui certum habet, rebus divinis tantum abditorum ineſſe myſteriorum, ut, quantumcunque in iis aperuerit, plura tamen ſuperſint, quæ eum fugiant. (a) *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit, in rebus divinis, etiamſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe, quod quærat.*

Quæ de lachrymis S. Petri Patres dicunt, ſelecta ſunt admodum: S. Leo exclamat: (b) *Felices, S. Apoſtole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis.* S. Maximus dicit, quod Petrus

(a) Serm. 9. in Nativ. Domini. (b) Serm. 6. de Paſſ. Dom.

admiſſo peccato fuderit lachrymas, quin vocem ullam, qua veniam depoſceret, mitteret. (a) *Prorumpis ad lachrymas, nihil voce precatus. Invenio, quod fleverit, non invenio, quid dixerit.* Nec deerat cauſa, cur lachrymas funderet, & ſileret: nam quod ſolet defleri, recepto jam ordine minime excuſatur: & quod per voces defendi non poteſt, lachrymis deleri poteſt. Lachrymæ, proſequitur S. Maximus, peccatum abluunt, quod linqua confiteri erubuit, conſulunt pudori, & eodem tempore ſalutem obtinent, petunt ſine rubore, & votorum participes redduntur. *Lavat lachrymia delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lachrymæ verecundiæ conſulunt pariter & ſaluti, non erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando.* Lachrymæ, dico ego, tacitarum precum pondus habent; veniam, ut, quod ſentio, dicam, non tam efflagitant, quam merentur, cauſam peccatorum non deflent, ſed gratiam conciliant. Preces, quas lachrymæ obeunt, majoris ponderis ſunt, quam eæ, quas lingua peragit: prolata enim in precibus verba fallere poſſunt, non item lachrymæ. Loquens aliquando non omnia mentis ſenſa effert, lachrymans expri-

(a) Hom. 3. de pœnit. Petri.

primit, quidquid cor ſuggerit: & hæc cauſa eſt, quod Petrus verbis abſtineat, quibus deluſus, in peccatum impulſus, fide excidit: eo metu, ne per eam viam, qua uſus eſt Chriſto renuncians, rurſum eum confitens, fidem ſibi velut derogaret. Aliam præterea rationem invenio; cur Petrus verbis abſtinuerit: metuebat nempe, ne ſi recenti tum maxime offenſa veniam expoſceret, petitio impudentiæ quandam ſpeciem præferret, irritando quam placando Magiſtro opportunior. *Invenio autem & aliud, cur tacuerit Petrus: ne tam cito veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quam impetraret.*

(a) Eas cogitationes, iisdem fere expreſſas verbis reperire eſt in S. Ambroſio: mutuatus eas nempe ex S. Ambroſio videtur S. Maximus: fuerunt enim & authores ſacri perinde ac profani non admodum in ſe mutuo exſcribendis religioſi.

(b) Verba, quæ legimus in Geneſi: *& dixit Deus, fiat lux*: occaſionem S. Baſilio præbent dicendi. Prima vox,

(a) Expoſit. Evang. ſuper Luc. lib. 10. (b) In Hexam. *lib.* 2.

quam Deus protulit, fugavit tenebras, illustravit mundum, & recreavit totam naturam. Cogitatio hæc amœna est, & perinde fere jucunda, atque ipsa lux.

Quod idem Sanctus de divitibus avaris aurum suum & argentum defodientibus dicit, naturale est, & ingeniosum; furor est, aurum e terræ sinu tanto labore erutum, rursum eo mergere. Advertite, quicunque sic auro utimini, cor cum vestro argento defodere videmini, nam Spiritus Sancti effato: *ubi thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.*

Præcipua hominis felicitas est, ut dicit S. Chrysostomus, non peccare, altera sentire & deflere suum peccatum. (a) Indolentia peccatoris, defectus doloris post admissum peccatum Deum pene magis, quam ipsum peccatum irritat. Binæ hæ cogitationes magni momenti sunt, & non minus frequenter revolvi merentur, quam hæc: Dum Deus a nobis adversus est, iram suam non aliquo in nos actus odio prodit, sed ut nos vel ipso iræ suæ tempore a peccato avocet.

Modus

(a) Hom. 14. in Cap. 4. Math.

Modus, quem S. Bernardus in deligendis Cardinalibus, aliisque Ecclesiæ Ministris præscribit, censendus est inter pulcherrimas ideas. Dum Ministros Ecclesiæ adoptas, dicit Sanctus Eugenio Papæ, non eos designa, qui dignitates sacras ambiunt, & conatum adhibent, ut iis admoveantur, sed eos, qui illas refugiunt, & oblatas admittere horrent. (a) *Non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes.* Id genus homines vel obluctantes dignitatibus cumula, renuentes orna, qui metus spesque omnes non in alio nisi uno Numine repositas habeant, qui non muneribus ducantur, sed singulorum necessitati occurrant. *Qui præter Deum tantum timeant nihil: nihil sperent, nisi a Deo. Qui adventantium non manus attendant; sed necessitates.* Qui intrepidis animis afflictorum partes tueantur, qui jus pauperibus dicant, qui moribus puris & exactis, sanctimonia comperta, humanitate, & patientia comprobata, ardore inviolabili disciplinæ sint, qui zelum ardentem, & severum ad omnes quibus correctio adhibenda, porrigant, qui doctrinam sanam, fidem orthodoxam, sincerum amorem pacis, & con-

(a) De Consid. Lib. 4. Cap. 4.

cordiæ præferant, apud quos in judiciis æquitas eluceat, qui consilio acri polleant, moderationem in imperiis adhibeant, negotia prospero eventu suscipiant, qui pleni animorum sint in conversatione, modesti in alloquiis, pacati in adversa, non elati in læta fortuna. *In zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique & in omnibus circumspecti.* Qui, quoties res exiget, legationem pro JESU Christo obire non abnuant, neque eandem quærant, priusquam deferatur, neque eam detrectent prava animi contentione provecti, dum eam per modestiæ speciem excusant. *Nec jussi renuant, nec non jussi affectent: quod verecunde excusant, obstinatius non recusent.* Qui legationibus condecorati non aurum corrogent, credentes legatione se fungi, non mercaturam facere. *Quæstum legationem non æstiment. Regibus Joannem exhibeant, Aegyptiis Moysen.* Fornicatoribus Phineem, idololatris Eliam, avaris Elisæum, mendacibus Petrum, blasphematoribus Paulum, & templi profanatoribus JESUM Christum.

S. Au-

S. Augustinus pulchre exprimit, quam lugubri semper exitu mundi res terminentur: postquam illud retulit, quod impii in Sapientiæ libro dicunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant*, adjungit: Quid tenerius corona e rosis contexta? Crederesne ex ea nasci posse cruces, & spinas? non mirare: radix spinarum tenera est, sed ex ea nascitur, quod pungit. *Quid delicatius? quid lenius? sperares de hac lenitate cruces, & gladios? noli mirari, lenes sunt & radices spinarum. Si quis eas contrectet, non pungitur, sed quo pungeris, inde nascitur.*

Salvianus pauculis verbis infelicem statum eorum peccatorum designat, qui non modo inchoatæ vitæ melioris propositis non insistunt, sed priora rursum admittunt flagitia: (a) *Taliter fere omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse, quam postea ipsius pœnitentiæ pœnitere; nec tam prius pœnituisse, quod male vixerint, quam postea, quod se promiserint, bene esse victuros.*

De

(a) Lib. 5. de Provid.

De barbara immanitate divitis Epulonis in Lazarum S. Chrysologus dicit, Deum videntem, divitis aures voci pauperis occlusas, uniusque oris gemitu emolliri haud posse, corpus totum Lazari vulneribus operuisse, ut dives intelligeret, quid charitas pauperi impendi exigeret, cui tot ora, quod vulnera erant: (a) *ut in admonendo divite tot essent pauperis ora, quot vulnera.*

Idem Pater divitem epulonem flammis jam circumdatum alloquitur: (b) *Quid est, ab æstu byssus non defendit, purpura non resistit inferno?* quin potius hæ vestes delicatæ, & splendidæ nulli tibi sunt usui, tibi, qui alias æstati insultabas teneris istis telis, & transparentibus, quæ corpus tuum utut tectum omnium tamen oculis objiciebant: nudus nunc ipse es, illisque torreris ignibus, qui nunquam mitigabuntur, nunquam extinguentur. *Ipse nunc nudus æstuas, qui aliquando insultabas æstibus artificiosa nuditate vestitus.* Petis aliquod lenimen sitis, ubi sunt exquisiti liquores, quibus abundabas? ubi annosa vina, quæ tempus adeo mitigavit? omnia hæc tibi amissa sunt, & non aliud reliquum est, quam

(a) Serm. 121. (b) Serm. 121.

quam triſtis recordatio, quod male his uſus ſis. *Iſta omnia tibi periere, non crimini.* Stillam aquæ in ſolatium depoſcis; ſed tanta ſiti non cruciareris, ſi vel guttulam pauperi dediſſes. *Sitis guttam, quam ſi vel ſolam pauperi dediſſes, non ſitires.*

S. Ambroſius agens de filia Herodiadis, quæ coram Herode ſaltans ab eo caput S. Joannis Baptiſtæ obtinuit, in Chriſtianis Virginibus ſaltum condemnat: vix aliud excogitari poteſt, quo clarius demonſtretur, quam honoratam quamvis fœminam ſaltus dedeceat, quam dum dicit; (d) *Saltet & adulteræ filia.*

S. Chryſoſtomus, dum enarrat, Publicanos ad Joannem Baptiſtam in eremum conceſiſſe, & ab eodem quæſiviſſe, quid agendum ſibi eſſet, in hunc modum diſſerit: (b) vos rebus omnibus affluitis, & ut felices reddamini, in diſciplinam ſolitarii vos datis, qui rebus omnibus caret: vos divitiis immerſi a paupere edoceri vultis modum ad veram felicitatem pertingendi.

Nihil

(a) Lib. 3. de Virginitate. (b) Hom. 25. in Cap. 8. Math.

Nihil naturale magis, ingeniosumque est, quam judicium S. Augustini de studiiis suæ primæ ætatis: obstrictus eram repetere itinera, & fata, cujus nescio, Æneæ, oblitus interim vitæ meæ dissolutæ: coactus sum lachrymas affundere mortuæ Didoni, quæ amore furens se transfixit, dum interim a te, mi Deus, avulsus morerer, nec morti meæ illachrymarer, nec sortem miseram, in quam dejectus eram, sentirem: quid enim magis dignum miseratione, quam sui non misereri? flere mortem Didonis, quæ amore Æneæ vitam suam projecit, & non suæ morti indolere, quæ evenerat, cum te non amarem? (a) *Quid miserius misero non miserante se ipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te.* Adjungit eleganter, se cum prohibitus esset lectione Historiarum fabulas redolentium, quibus mergebatur penitus, in lachrymas ivisse, quod ea dulcium lachrymarum materies sibi subduceretur: *Si prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem, quod dolerem.*

Si

(a) Conf. lib. 1. Cap. 13.

(a) Si qua fides S. Gregorio Naz. Machabæorum mater ad rogum perinde ut deliciarum locum accurrit, in illum ultro ſe, quin tortores expectaret, conjecit, metuens, ne profanæ manus ſanctum corpus contaminarent. Cogitatio hæc pulchra eſt, ſed non minus amœnæ iſtæ; Gloriæ ſibi duxit, quod filios ſeptem Martyres numeraret virtutis ſpectatæ; gloriabatur, quod eos, quos in mundum dedit, ut victimas in cœlum ſibi præmiſerit, ubi ſubduxit numerum partuum, utque naſcendi ordine proles ſe exceperint, & deſiderari vidit neminem, inceſſit gaudiis. Pugnarunt omnes, adjungit Sanctus, nemine dempto, perempti jam locum explevit alter, nemo non intrepidum probavit animum, præcedentis exemplum novos ſemper ſtimulos ſequenti addidit: tanta in ſingulis emicuit generoſitas, ut pœnas majore ardore ſubirent, quam eas tyrannus irrogarat.

Morem quorundam Eremicolarum merito perſtringit S. Hieronymus, qui immemores prorſus, quid ſtatus, quem amplexi ſunt, expoſcat, ipſa in ſolitudine ſcribendis, accipiendisque literis

(a) Orat. 22.

teris se occupant: abhorret a ratione, eremo abdi, & scriptitandi assiduitate nomen suum toto orbe vulgare: (a) *incongruum est latere corpore, & lingua per totum orbem vagari.* Id quod alius Ecclesiæ Pater dicit, ad ipsam quodammodo D. Hieronymi sententiam accedit: quid solitudine corpus abdis, si cordis solitudo desit: (b) *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis?*

Eloquentia, & acrimonia confertum est, quod S. Bernardus ad Prælatum eo ævo viventem scribit, qui luxum in ipsis equorum frœnis affectavit: Pauperes, quibus nihil non ad vitam ducendam deest, qui fame premuntur lamenta effundunt, & elata voce clamant: dic nobis Prælate, quid aurum ipsis in frœnis coruscat? (c) *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt, dicite Pontifices in fræno, quid facit aurum?* Satyra hæc perstringit Ecclesiæ Ministros omnes, qui vivendi normam, quæ Optimatibus magis convenit, consectantur, qui superba palatia

(a) Epist. 47. (b) S. Gregor. exposit. in Jobum c. 12. (c) Epistol. ad Henr. Senonens. Episcopum.

latia incolunt, magni pretii ſtragulis ea inſtruunt, epulantur ſplendide, magnifico cultu habituque ſunt, dum interim membris Chriſti deeſt, quo vel vitam miſere tolerent.

Qui viderit currum, proſequitur Sanctus, qui, inquam, currum viderit, qui primo aſpectu creditur illuſtris cujusdam Principis, quæ pauculos ante dies matrimonium iniit, vel cujusdam præter ordinem Legati, qui faſtu ſuo totius populi oculos parat perſtringere, an non exclamabit? quem locum ſibi vindicant obductæ auro laminæ, picturæ, illæ fimbriæ in curru Miniſtri Evangelii? quid uſurpantur frœna adeo coruſcantia, & pretioſa?

Idem Pater eodem actus ſpiritu ad Eugenium Papam ſic loquitur: (a) aut pone munus Paſtoris omnium fidelium, aut opere talem te præſta. *Paſtorem te populo huic aut nega, aut exhibe.* Cave, ne ille, cujus locum exples, te forſan ſuos inter ſucceſſores non ducat. Petrus is eſt, qui Romæ gemmis ornatus in publico viſus non fuit, qui auro, ſericoque minime veſtitus fuit, quem albus

e equus

(a) De Conſid. lib. 4. c. 3.

equus nunquam vexit, quem numerosus miles, aliique stipatores nunquam deduxerunt: hæc ornamenta, hic comitatus non convenit in JESU Christi Vicarium: His in pompis non Petri, sed Constantini successorem te probas. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis. Non tectus auro, non vectus equo albo, nec circumstrepentibus septus Ministris, in his successisti non Petro, sed Constantino.*

Licet Sacerdoti, ait S.Hieronymus, ut vitam e sacro censu toleret, at vetitum est ambitionem, luxumque suum sacro e reditu alere. (a) *Permittitur tibi, Sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxuries.*

Majoris animi indicium est teste S. Paulino non uti rebus, quæ jam tenentur, quam ea non appetere, quibus alioquin jam quis est spoliatus: Christiana fortitudo magis elucet in eo, si quis spernere audeat, quæ jam adsunt, quam si non habeat, quod contemnat, (b) *Fortius esse manentibus, quam alienatis re-*

bus,

(a) In Mich. c. 2. (b) Epist. 2.

bus carere, & spernere, quod habeas, quam non habere, quod spernas.

Cogitationes S. Chrysologi de cæde innocentum sunt amœnæ. Qui vix norant, quid vitæ inesset commodi, ferali ictu sublati sunt; ætas tenera a morte eos apud Herodem non exemit, loquendi impotentia a tyranni furore eos non defendit, quorum crimen in eo vertebatur unice, quod nati essent. (a) *Sumpserunt mortem, qui nescierunt vivere: non excusavit ætas, silentium non defendit, quibus apud Herodem, solum, quod nati sunt, crimen fuit.* Infelix Princeps, qui tanta perpetravit flagitia, quæ nullum defensioni locum reliquum faciunt. Quis enim defendit eum, quem innocentia accusat, infantia persequitur, lac non minus quam sanguis reum peragit? *Quis excusabit, quem pulsat innocentia, infantia impetit, lac ut sanguis accusat?* Felices infantes, quos non sæculo, sed Martyrio natos gratulamur. *Beati, quos Martyrio natos vidimus, non sæculo!* qui ab initio ætatis ærumnis, & doloribus obnoxiæ transeunt ad quietem, & gaudium. Hos ego magis vivere, quam mori pro Christo edixero. Felices lachrymæ, quæ

(a) Serm. 152.

pro parvulis Martyribus effusæ gratiam Baptismi illis contulerunt, quæ has effuderunt, nam ejusdem misericordiæ virtute diversa tamen ratione Matres suis lachrymis, infantes suo sanguine sunt abluti: *Beatæ lachrymæ, quæ pro talibus fusæ, flentibus gratiam Baptismatis contulerunt; nam diverso modo, dono uno in lachrymis suis Matres, & filii suo sanguine baptizantur.*

S. Augustinus paucula intra verba Christiani hominis obligationes omnes cogit: Christiani mundum hunc non aliam ob causam incolunt, quam ut de rebus ante oculos positis victoriam referant, & spe sua in futuras emicent. (a) *Ad hoc sunt Christiani, ut præsentia superent, & futura sperent.* Alio in loco dicit, Christianorum esse, ut quæ in hac vita plurima occurrunt mala, tolerent, spes omnes in rebus, quæ nullum finem sortientur, defigant. (b) *Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna.* Sanctus Cyprianus non minus pulchram Christiani instituti effigiem expingit: Nos, qui Philosophos nos ultra labra operibus comprobamus, qui sapientiam non veste, sed veritate

(a) In Psal. 90. (b) Serm. de diversis. 106.

ritate doctrinæ, morumque integritate profitemur, qui plus curæ in eo reponimus, ut virtutem colamus, quam ut eam ambitiose ostentemus, qui parci verborum res magnas agimus. (a) *Nos autem, qui Philosophi non verbis, sed factis, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum magis conscientiam, quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus.* Minutius Felix usque adeo conceptis verbis idem dicit, ut mutuatus id duntaxat e S. Cypriano videatur. (b) *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus. Non eloquimur magna, sed vivimus.* Quibus adjungi potest S. Eucherius, qui dicit, quod ad pompam alii Philosophi nomen sumpserint, sed Christiani vitam, & mores. (c) *Licet dicere Philosophiæ alios nomen usurpasse nos vitam.*

Judas nimium quam sero sentiens, quam enormi se obstrinxisset flagitio, non satis habuit, quod pretio per sacrilegium parto se spoliaret, nisi se quoque in ruinam impelleret. (d) *Intelligens Judas, quantum scelus admiserit, non suffecit & sacrilegii carere mercede, nisi*

(a) Orat. de Patien. (b) In Octav. (c) Epist. ad Valer. (d) Hom. de Juda traditore.

careret & salute. Sed vel de se vindictam repetens, eum testatus est, quem tum ejuravit, cum torquendum eum hostium suorum furori tradidit. *Vel ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo.* Pulchræ hæ cogitationes e S. Maximo petitæ sunt.

Animadversio S. Chrysologi in ea Evangelii verba: Surge, accipe puerum, & Matrem, & fuge in Ægyptum, magni est momenti. Quid Evangelista denotat? quid causæ subest, quod illud ad memoriam sempiternam consignet? Miles sui Principis gloriæ militans in more non habet commemorare probrosas ejus fugas, clades, ærumnas, & sinistros eventus: adeo hæc, quibus fama diminui possit, non aperit, ut potius obtegat, & perpetua oblivione contumulet; non aliud præter illustria facinora, exaggeratas virtutes, prosperos armorum successus, victorias, & triumphos concelebrat. (a) *Devoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, adversa delere, prædicare victorias.* Objectioni subinde, quam ultro moverat, re-

(a) Serm. 150.

respondet Sanctus, & pensate quidem. Fuga, quam clarus Bellidux adornat, sæpenumero non tam fugæ, quam providi receptus instar est habenda: non semper diffidentia, & amittendæ pugnæ metus eam suadet, evenit non raro, ut ipsa bellandi ars eam imperet. *Bellicosus quod in bello fugit, artis est non timoris.* Quando Deus fuga se subducit homini, non id ex debilitatis conscientia proficiscitur, grandi nunquam Mysterio talis fuga caret. *Deus, quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris.* Quando viribus prævalens, se subducit debilioribus, qui velut victoriæ jam certi eum insequuntur, non id per metum, sed artem bellicam fit, quo nempe obluctaturos alioquin in apertum campum extrahat: ut victoriam suam secuturis etiam sæculis illustrem vult reddere, ita obscuras pugnas odit: secretæ victoriæ, virtutes abditæ ad futuræ ætatis memoriam non propagantur. Vide, cur fugam elegerit JESUS: tempori, non Herodi cessit. *Secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt: hinc est, quod Christus fugit, non ut cedat Herodi, sed tempori.*

Quod de benignitate Theodosii S. Ambrosius dicit, mira teneritudine

ſcriptum eſt, totumque deſignat Principem: Theodoſius favorem ſibi collatum interpretabatur, cum veniam rogaretur: quanto in iram magis concitatus erat, tanto ad conferendam gratiam promptior erat; ira novos illi, acrioresque ſtimulos dandæ certius veniæ addebat: & quod apud alios metuitur, hoc apud illum in votis erat, ut in iram nempe concitaretur. (a) *Beneficium ſe putabat, accepiſſe, cum rogaretur ignoſcere. Tunc propior erat veniæ, cum fuiſſet commotio major iracundiæ: prærogativa ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut iraſceretur.*

Panegyris, quam S. Honoratus S. Hilario Epiſcopo Arelatenſi adornavit, nec ſpiritu, nec cultu Panegyricis veterum cedit: coruſcat ingenii luminibus, paucula inde petita verba ſufficient, ut de totius operis præſtantia judicium feratur. In hac, de qua agimus materia, dicit Sanctus, gaudium, & mœror certant inter ſe, & quam dulce eſt meminiſſe talis viri, tam jactura illius animum cruciat. *Compugnant mœroribus gaudia: talem reminiſci dulce eſt, tali carere ſupplicium.*

(a) In Orat. de exitu Theodo.

cium. Avita nobilitas decus meritis adjicere non poteſt, niſi conculcetur. *Nec addere quicquam ad dignitatem terrenæ originis decus niſi contemptu ſuo poteſt.* Honoratus, ſociique ejus a popularibus ſuis tantis cumulabantur honoribus, ut, quantumvis contemptum, & paupertatem ambirent maxime, neutrum tamen conſequi poſſent. *Pervenire illis ad ignobilitatem, & paupertatem non licebat.* Quanto magis conabantur, ut vitam ab omni populari aura ſubmotam agerent, tanto illuſtrior eorum fama reddebatur. *Quanto magis eorum vita abſcondebatur, tanto magis fama emicabat.* Timebant, dum gloriam, famamque vitæ ſuæ ad Chriſtianas leges exactæ adeo late diffundi ſenſerunt, quantumvis non alium ſibi finem præter unam Numinis gloriam conſtituiſſent. *Pavebant gloriam ſuam & odorem bonæ converſationis longe, lateque diffuſum, licet ad Dei laudem referrent.* Ubi in loco quopiam honores eos velut inſectati ſunt, ſolitudinem ab omni hominum conſortione ſubmotam inquirebant, quæ laude illos, applauſuque abſolveret. *Quodammodo paſſi honoris ſui perſecutionem ad peregrinas contendunt.* Provinciæ omnes Patres ſuos in illis juvenibus amiſiſſe ſe credebant,

qui nempe virtutes omnes maturæ ætatis præferebant, nec ullo ejus vitio laborabant, quibusque venerationem, cultumque omnem morum integritas conciliabat. *Amittere se omnis patria in juvenibus illis patres sentiebat, & vere erat in illis senectus non annis cana, sed gratiis, non curiosa artubus, sed moribus vetusta.* Cum in singulis, quæ adierant locis, nominis eos celebritas consequeretur, & gloria invitis obtruderetur, ignotas terras, & ignota littora quæsiverunt, ubi Romana eloquentia, qua præstabant, nonnisi barbariem spiraret. *Expetunt littora, quibus barbara esset etiam illa, quæ plurima in ipsis erat, Romana eloquentia.* Quod reliquum est Panegyris, simili dicendi genere perspersum est: virtutes omnes S. Honorati vivis velut coloribus, styloque eleganti, & florido expictæ sunt. Quod autem in Panegyris fine adjicitur de supremi Sanctis vocibus, humanitatis plenis, melius mihi, & exprimendæ rei opportunius videtur iis verbis, quæ Tacitus de Tiberio affert, dum is nempe suprema debilitate correptus, ut erat mirus simulandi artifex, affectata tamen animi firmitate eam opprimere conabatur. *Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio dese-*

sera-

ſerebat. Nam S. Hilarius S. Honoratum inquit, in reſponſis emoriente lingua editis neſcio quid amœnum, & ſuave ſpiraſſe. Prius pene vitæ, quam amœnitatis finem fecit: *Pene ante vita ejus, quam dulcedo conſumpta eſt.*

Cogitatio Salviani de pœnitentia ad ſupremum uſque rerum articulum dilata pulchra admodum eſt: poſtquam dixit, hominem ab ipſa: quam profitetur fide, eo velut condemnari, ut perpetrati flagitii pœnas inclementer a ſe repetat, hac ratione ſcelera expiaturus, veniamque promeriturus tanto certius, adjungit: ſed quando corpus eo adducetur, ut diffluentibus viribus vix ſpiret, quod rigidum judicium conſtituet animus? Nam judex ſeveræ pœnæ facinoroſum addicere non poteſt, quando jam tempus abiit, quo ex æquitate, & rigore judicari poſſet: (a) *Sed fatiſcente jam corpore ubi exercebit diſtrictionis officium cenſor animus; uti enim ſeveritatis arbitrio judex non poteſt, quando reus jam non ſuſtinet judicari.*

S. Hieronymus pauculis verbis Hypocriſim deſcribit: Animo Nero, externa

(a) Lib. 1. ad Eccl.

terna ſpecie Cato, homo ſibi repugnans, monſtrum ex naturis inter ſe pugnantibus, & adverſis conflatum. (a) *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, ut ex contrariis, diverſiſque naturis unum monſtrum, novamque beſtiam diceres eſſe compoſitam.* S. Bernardus Abaillardum deſcribens cogitationem hanc ex S. Hieronymo in rem ſuam vertiſſe videtur, dum dicit: Homo non tam cum aliis, quam ſecum ipſo pugnans, intus Herodes, foris Joannes Baptiſta, de quo neſcias prorſus, quid ſentias: (b) *Homo ſibi diſſimilis, intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus.* Sed ectipon ipſo prototypo melius effictum mihi videtur: nam Cato, & Nero non eodem vixerunt tempore, & cum mutuo nunquam uſu juncti fuerint, minus inter eos ſimilitudinis intercedere videtur, quam Herodem, Joannemque Baptiſtam inter. Poſtremæ lineæ, quas S. Bernardus ſuperius adjungit, e proprio ingenio petitæ ſunt, nihilque imitationi debent. Nomen ſolum, veſtemque Monachi præfert. Homo eſt, qui conditionis ſuæ limites ultra effertur. Nihil eorum, quæ cœlum & terra habet, ignorat, una ſui ipſius laborat ignorantia. *Nihil habens de Monacho præ-*

(a) Epiſt. 4. (b) Epiſt. 193.

præter nomen, & habitum. Homo est egrediens mensuram suam: nihil nescit omnium, quæ in cælo, & in terra sunt, præter se ipsum.

S. Gregorius Nazian. eleganti panegyri celebrat Marcum Presbyterum non ætate minus, quam vitæ sanctimonia venerandum, quique his omnibus laudibus coronidis instar gloriam Martyrii adjecit: (a) Passus est a Juliano Apostata, quidquid tyrannis dire ingeniosa pœnarum irrogare potest: sed constantia illius his suppliciis omnibus superior abiit: senio non prohibente vigorem, vultumque juvenis in suppliciis retulit: nihil dolor de illius imminuit gaudio, ipsis e cruciatibus novam deliciarum materiem petiit: vidit effusum sanguinem, truncata membra, dimidium corporis in frusta sectum non alio vultu, quam si extero supplicio adstaret. Supplicium lætæ instar pompæ non sanguinolenti supplicii duxit.

Apologia Tertulliani plena est ingeniosis illusionibus, quibus Ethnicorum fictitiis Numinibus insultat. Defensor hic nunquam non in suis cogitationibus

(a) Orat. 3.

equus nunquam vexit, quem numerosus miles, aliique stipatores nunquam deduxerunt: hæc ornamenta, hic comitatus non convenit in JESU Christi Vicarium: His in pompis non Petri, sed Constantini successorem te probas. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis. Non tectus auro, non vectus equo albo, nec circumstrepentibus septus Ministris, in his successisti non Petro, sed Constantino.*

Licet Sacerdoti, ait S. Hieronymus, ut vitam e sacro censu toleret, at vetitum est ambitionem, luxumque suum sacro e reditu alere. (a) *Permittitur tibi, Sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxuries.*

Majoris animi indicium est teste S. Paulino non uti rebus, quæ jam tenentur, quam ea non appetere, quibus alioquin jam quis est spoliatus: Christiana fortitudo magis elucet in eo, si quis spernere audeat, quæ jam adsunt, quam si non habeat, quod contemnat, (b) *Fortius esse manentibus, quam alienatis rebus,*

(a) In Mich. c. 2. (b) Epist. 2.

bus carere, & spernere, quod habeas, quam non habere, quod spernas.

Cogitationes S. Chrysologi de cæde innocentum sunt amœnæ. Qui vix norant, quid vitæ inesset commodi, ferali ictu sublati sunt; ætas tenera a morte eos apud Herodem non exemit, loquendi impotentia a tyranni furore eos non defendit, quorum crimen in eo vertebatur unice, quod nati essent. (a) *Sumpserunt mortem, qui nescierunt vivere: non excusavit ætas, silentium non defendit, quibus apud Herodem, solum, quod nati sunt, crimen fuit.* Infelix Princeps, qui tanta perpetravit flagitia, quæ nullum defensioni locum reliquum faciunt. Quis enim defendit eum, quem innocentia accusat, infantia persequitur, lac non minus quam sanguis reum peragit? *Quis excusabit, quem pulsat innocentia, infantia impetit, lac ut sanguis accusat?* Felices infantes, quos non sæculo, sed Martyrio natos gratulamur. *Beati, quos Martyrio natos vidimus, non sæculo!* qui ab initio ætatis ærumnis, & doloribus obnoxiæ transeunt ad quietem, & gaudium. Hos ego magis vivere, quam mori pro Christo edixero. Felices lachrymæ, quæ

e 2 pro

(a) Serm. 152.

pro parvulis Martyribus effusæ gratiam Baptismi illis contulerunt, quæ has effuderunt, nam ejusdem misericordiæ virtute diversa tamen ratione Matres suis lachrymis, infantes suo sanguine sunt abluti: *Beatæ lachrymæ, quæ pro talibus fusæ, flentibus gratiam Baptismatis contulerunt; nam diverso modo, dono uno in lachrymis suis Matres, & filii suo sanguine baptizantur.*

S. Augustinus paucula intra verba Christiani hominis obligationes omnes cogit: Christiani mundum hunc non aliam ob causam incolunt, quam ut de rebus ante oculos positis victoriam referant, & spe sua in futuras emicent. (a) *Ad hoc sunt Christiani, ut præsentia superent, & futura sperent.* Alio in loco dicit, Christianorum esse, ut quæ in hac vita plurima occurrunt mala, tolerent, spes omnes in rebus, quæ nullum finem sortientur, defigant. (b) *Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna.* Sanctus Cyprianus non minus pulchram Christiani instituti effigiem expingit: Nos, qui Philosophos nos ultra labra operibus comprobamus, qui sapientiam non veste, sed veritate

(a) In Psal. 90. (b) Serm. de diversis. 106.

ritate doctrinæ, morumque integritate profitemur, qui plus curæ in eo reponimus, ut virtutem colamus, quam ut eam ambitiose ostentemus, qui parci verborum res magnas agimus. (a) *Nos autem, qui Philosophi non verbis, sed factis, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum magis conscientiam, quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus.* Minutius Felix usque adeo conceptis verbis idem dicit, ut mutuatus id duntaxat e S. Cypriano videatur. (b) *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus. Non eloquimur magna, sed vivimus.* Quibus adjungi potest S. Eucherius, qui dicit, quod ad pompam alii Philosophi nomen sumpserint, sed Christiani vitam, & mores. (c) *Licet dicere Philosophiæ alios nomen usurpasse nos vitam.*

Judas nimium quam sero sentiens, quam enormi se obstrinxisset flagitio, non satis habuit, quod pretio per sacrilegium parto se spoliaret, nisi se quoque in ruinam impelleret. (d) *Intelligens Judas, quantum scelus admiserit, non suffecit & sacrilegii carere mercede, nisi*

(a) Orat. de Patien. (b) In Octav. (c) Epist. ad Valer. (d) Hom. de Juda traditore.

careret & salute. Sed vel de se vindictam repetens, eum testatus est, quem tum ejuravit, cum torquendum eum hostium suorum furori tradidit. *Vel ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo.* Pulchræ hæ cogitationes e S. Maximo petitæ sunt.

Animadversio S. Chrysologi in ea Evangelii verba: Surge, accipe puerum, & Matrem, & fuge in Ægyptum, magni est momenti. Quid Evangelista denotat? quid causæ subest, quod illud ad memoriam sempiternam consignet? Miles sui Principis gloriæ militans in more non habet commemorare probrosas ejus fugas, clades, ærumnas, & sinistros eventus: adeo hæc, quibus fama diminui possit, non aperit, ut potius obtegat, & perpetua oblivione contumulet; non aliud præter illustria facinora, exaggeratas virtutes, prosperos armorum successus, victorias, & triumphos concelebrat. (a) *Devoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, adversa delere, prædicare victorias.* Objectioni subinde, quam ultro moverat, re-

(a) Serm. 150.

respondet Sanctus, & pensate quidem. Fuga, quam clarus Bellidux adornat, sæpenumero non tam fugæ, quam providi receptus instar est habenda: non semper diffidentia, & amittendæ pugnæ metus eam suadet, evenit non raro, ut ipsa bellandi ars eam imperet. *Bellicosus quod in bello fugit, artis est non timoris.* Quando Deus fuga se subducit homini, non id ex debilitatis conscientia proficiscitur, grandi nunquam Mysterio talis fuga caret. *Deus, quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris.* Quando viribus prævalens, se subducit debilioribus, qui velut victoriæ jam certi eum insequuntur, non id per metum, sed artem bellicam fit, quo nempe obluctaturos alioquin in apertum campum extrahat: ut victoriam suam secuturis etiam sæculis illustrem vult reddere, ita obscuras pugnas odit: secretæ victoriæ, virtutes abditæ ad futuræ ætatis memoriam non propagantur. Vide, cur fugam elegerit JESUS: tempori, non Herodi cessit. *Secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt: hinc est, quod Christus fugit, non ut cedat Herodi, sed tempori.*

Quod de benignitate Theodosii S. Ambrosius dicit, mira teneritudine

ſcriptum eſt, totumque deſignat Principem: Theodoſius favorem ſibi collatum interpretabatur, cum veniam rogaretur: quanto in iram magis concitatus erat, tanto ad conferendam gratiam promptior erat; ira novos illi, acrioresque ſtimulos dandæ certius veniæ addebat: & quod apud alios metuitur, hoc apud illum in votis erat, ut in iram nempe concitaretur. (a) *Beneficium ſe putabat, accepiſſe, cum rogaretur ignoſcere. Tunc propior erat veniæ, cum fuiſſet commotio major iracundiæ: prærogativa ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut iraſceretur.*

Panegyris, quam S. Honoratus S. Hilario Epiſcopo Arelatenſi adornavit, nec ſpiritu, nec cultu Panegyricis veterum cedit: coruſcat ingenii luminibus, paucula inde petita verba ſufficient, ut de totius operis præſtantia judicium feratur. In hac, de qua agimus materia, dicit Sanctus, gaudium, & mœror certant inter ſe, & quam dulce eſt meminiſſe talis viri, tam jactura illius animum cruciat. *Compugnant mœroribus gaudia: talem reminiſci dulce eſt, tali carere ſupplicium.*

(a) In Orat. de exitu Theodo.

cium. Avita nobilitas decus meritis adjicere non poteſt, niſi conculcetur. *Nec addere quicquam ad dignitatem terrenæ originis decus niſi contemptu ſuo poteſt.* Honoratus, ſociique ejus a popularibus ſuis tantis cumulabantur honoribus, ut, quantumvis contemptum, & paupertatem ambirent maxime, neutrum tamen conſequi poſſent. *Pervenire illis ad ignobilitatem, & paupertatem non licebat.* Quanto magis conabantur, ut vitam ab omni populari aura ſubmotam agerent, tanto illuſtrior eorum fama reddebatur. *Quanto magis eorum vita abſcondebatur, tanto magis fama emicabat.* Timebant, dum gloriam, famamque vitæ ſuæ ad Chriſtianas leges exactæ adeo late diffundi ſenſerunt, quantumvis non alium ſibi finem præter unam Numinis gloriam conſtituiſſent. *Pavebant gloriam ſuam & odorem bonæ converſationis longe, lateque diffuſum, licet ad Dei laudem referrent.* Ubi in loco quopiam honores eos velut inſectati ſunt, ſolitudinem ab omni hominum conſortione ſubmotam inquirebant, quæ laude illos, applauſuque abſolveret. *Quodammodo paſſi honoris ſui perſecutionem ad peregrinas contendunt.* Provinciæ omnes Patres ſuos in illis juvenibus amiſiſſe ſe credebant,

qui nempe virtutes omnes maturæ ætatis præferebant, nec ullo ejus vitio laborabant, quibusque venerationem, cultumque omnem morum integritas conciliabat. *Amittere se omnis patria in juvenibus illis patres sentiebat, & vere erat in illis senectus non annis cana, sed gratiis, non curiosa artubus, sed moribus vetusta.* Cum in singulis, quæ adierant locis, nominis eos celebritas consequeretur, & gloria invitis obtruderetur, ignotas terras, & ignota littora quæsiverunt, ubi Romana eloquentia, qua præstabant, nonnisi barbariem spiraret. *Expetunt littora, quibus barbara esset etiam illa, quæ plurima in ipsis erat, Romana eloquentia.* Quod reliquum est Panegyris, simili dicendi genere persperfum est: virtutes omnes S. Honorati vivis velut coloribus, styloque eleganti, & florido expictæ sunt. Quod autem in Panegyris fine adjicitur de supremi Sanctis vocibus, humanitatis plenis, melius mihi, & exprimendæ rei opportunius videtur iis verbis, quæ Tacitus de Tiberio affert, dum is nempe suprema debilitate correptus, ut erat mirus simulandi artifex, affectata tamen animi firmitate eam opprimere conabatur. *Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio desera-*

ſerebat. Nam S. Hilarius S. Honoratum inquit, in reſponſis emoriente lingua editis neſcio quid amœnum, & ſuave ſpiraſſe. Prius pene vitæ, quam amœnitatis finem fecit: *Pene ante vita ejus, quam dulcedo conſumpta eſt.*

Cogitatio Salviani de pœnitentia ad ſupremum uſque rerum articulum dilata pulchra admodum eſt: poſtquam dixit, hominem ab ipſa: quam profitetur fide, eo velut condemnari, ut perpetrati flagitii pœnas inclementer a ſe repetat, hac ratione ſcelera expiaturus, veniamque promeriturus tanto certius, adjungit: ſed quando corpus eo adducetur, ut diffluentibus viribus vix ſpiret, quod rigidum judicium conſtituet animus? Nam judex ſeveræ pœnæ facinoroſum addicere non poteſt, quando jam tempus abiit, quo ex æquitate, & rigore judicari poſſet: (a) *Sed fatiſcente jam corpore ubi exercebit diſtrictionis officium cenſor animus; uti enim ſeveritatis arbitrio judex non poteſt, quando reus jam non ſuſtinet judicari.*

S. Hieronymus pauculis verbis Hypocriſim deſcribit: Animo Nero, externa

(a) Lib. I. ad Eccl.

terna specie Cato, homo sibi repugnans, monstrum ex naturis inter se pugnantibus, & adversis conflatum. (a) *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, ut ex contrariis, diversisque naturis unum monstrum, novamque bestiam diceres esse compositam.* S. Bernardus Abaillardum describens cogitationem hanc ex S. Hieronymo in rem suam vertisse videtur, dum dicit: Homo non tam cum aliis, quam secum ipso pugnans, intus Herodes, foris Joannes Baptista, de quo nescias prorsus, quid sentias: (b) *Homo sibi dissimilis, intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus.* Sed ectipon ipso prototypo melius effictum mihi videtur: nam Cato, & Nero non eodem vixerunt tempore, & cum mutuo nunquam usu juncti fuerint, minus inter eos similitudinis intercedere videtur, quam Herodem, Joannemque Baptistam inter. Postremæ lineæ, quas S. Bernardus superius adjungit, e proprio ingenio petitæ sunt, nihilque imitationi debent. Nomen solum, vestemque Monachi præfert. Homo est, qui conditionis suæ limites ultra effertur. Nihil eorum, quæ cœlum & terra habet, ignorat, una sui ipsius laborat ignorantia. *Nihil habens de Monacho præ-*

(a) Epist. 4. (b) Epist. 193.

præter nomen, & habitum. Homo est egrediens mensuram suam: nihil nescit omnium, quæ in cælo, & in terra sunt, præter se ipsum.

S. Gregorius Nazian. eleganti panegyri celebrat Marcum Presbyterum non ætate minus, quam vitæ sanctimonia venerandum, quique his omnibus laudibus coronidis instar gloriam Martyrii adjecit: (a) Passus est a Juliano Apostata, quidquid tyrannis dire ingeniosa pœnarum irrogare potest: sed constantia illius his suppliciis omnibus superior abiit: senio non prohibente vigorem, vultumque juvenis in suppliciis retulit: nihil dolor de illius imminuit gaudio, ipsis e cruciatibus novam deliciarum materiem petiit: vidit effusum sanguinem, truncata membra, dimidium corporis in frusta sectum non alio vultu, quam si extero supplicio adstaret. Supplicium lætæ instar pompæ non sanguinolenti supplicii duxit.

Apologia Tertulliani plena est ingeniosis illusionibus, quibus Ethnicorum fictitiis Numinibus insultat. Defensor hic nunquam non in suis cogitationibus

(a) Orat. 3.

bus ſublimis, & audax dicit in loco quopiam, ſimulacra Deorum ex eadem conſtare materie, e qua vaſa quotidiani uſus conflata ſint, vel potius, quod vaſa in Deos migrarint, priſtinam illorum conditionem per conſecrationem, artisque ſubſidium mutando, quæ nova forma materiem imbuere non poteſt, quin injuriam divinitati inferat, & ſpeciem ſacrilegii admittat. (a) *Quaſi fatum conſecratione mutantes licentia artis transfigurante, & quidem contumelioſe, & in ipſo opere ſacrilege.* Graviter ſubinde, & magnifice adjungit. Eſt, cur in noſtris pœnis gaudeamus, dum Deos, quorum cauſa ſuppliciis his addicimur, eadem plane videbimus tuliſſe, quo divinos honores adipiſcerentur. *Ut revera nobis maxime, qui propter Deos ipſos plectimur, ſolatium pœnarum eſſe poſſit, quod eadem & ipſi patiantur, ut fiant.* In Cruces Chriſtianos agitis, ſed quod amabo veſtrum ſimulacrum eſt, quod non ſimilibus machinis admoviſtis. Patibulo corpus veſtri Dei conſecrationem debet. *In patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur.* Nobis coſtas ferro transverberatis, ſed violente magis ſecuris, & dolabrum in omnia Deorum veſtrorum membra

bra

(a) Cap. 12.

bra imprimitur. Caput nobis demetitis, ſed Dii veſtri non alio inſtructi ſunt, quam quod plumbum, cæmentum, & calx illorum corporibus firmius defixit, Beſtiis ferocibus objicimur; & hæ ſunt beſtiæ, quæ Bacchum, Cererem, & Cybelem deducunt. Urimur, ſed eadem ſors veſtrorum Numinum erat, ut informem maſſam exuerent. Ad metalla damnamur, ſed ex iis ortum, pretiumque veſtra ducunt Numina. Si divinitatis quæ ſpecies inde petitur, omnes ſuppliciis affectos quadam ratione Deos inter numerari, ipſaque ſupplicia Apotheoſes dici eſt neceſſe. *Si per hæc conſtat divinitas aliqua, ergo, qui puniuntur, conſecrantur, & Numina erunt dicenda ſupplicia.*

S. Auguſtinus luſus, & diverticula primæ ſuæ ætatis referens, ea loquendi ratione utitur, quæ non male ad pleraſque hominum occupationes referri poteſt. (a) *Majorum nugæ, negotia vocant.* Innuere videtur Sanctus commercia, negotia, occupationes, quæ ſeria, majoriſque momenti videntur, inſpecta propius prodere ſuam exilitatem.

Filii

(a) Conf. lib. 1. c. 9.

Filii Dei in passione sua silentium enarrans S. Maximus acute multa observat: Mirum sane, Servatorem correptum a judicibus vocem nullam mittere: (b) *Mirum sit, quod arguatur Servator, & taceat.* Silentium enim aliquando assensus in loco habere licet: & nullum responsum reddentes videmur accusationes comprobare. Ergone suo silentio Christus criminationes suorum hostium comprobat? non sane: silens accusationem non confirmat, sed despicit indignam prorsus, quæ refutetur; opportune enim tacet, cui nulla opus est defensione. Illi causam suam agant, ii verbis non parcant, qui metuunt, ne succumbant. *Non plane accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit non refellendo: bene enim tacet, qui defensione non indiget, ambiat defendi, qui metuit superari.* JESUM Christum quod attinet, victor est, vel cum condemnatur, triumphum refert, cum judicatur; Propheta teste: *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.* Quid ergo causæ erat, quod loqueretur JESUS, priusquam in illum ferretu judicium? cum vel ipsum judicium victoriam illi addiceret:

(a) Hom. 1. de accusato apud Pilatum Domino.

ceret, *quid ergo opus erat loqui ei ante judicium, cum ipſum judicium erat plena victoria?* Nam JESUS triumphat, cum cauſa illius diſcutitur: publica authoritate innocentia illius comprobata eſt ipſo Pilato fatente: *Innocens ſum a ſanguine juſti hujus.* Cauſa igitur, quæ bonitate ſua unice niſa, nullo defenſore, Patronoque admiſſo obtinetur, melior eſt, juſtitia illa magis conſummata eſt, non cui pondus verba addunt, ſed quam ipſa veritas propugnat. Lingua conticeſcat, eſt neceſſe, cum æquitas ſuis ſe legibus tuetur: in cauſa juſta nullus ſit linguæ locus, quæ vel iniquas conficere conſuevit: nolo æquitatem eo modo propugnari, qui in iniquiſſimis cauſis de more adhibetur. *Nolo ſic defendi juſtitiam, ſicut ſolet iniquitas excuſari.* Adjungit Sanctus: quæ demum res Filium DEI ad loquendum adduceret, poſtquam ipſum ſilentium victoriam expreſſit? *Quæ res compelleret ad loquendum, cum ſilentium ſatis ſufficeret ad vincendum?* Exemplo Suſannæ rem ſubinde in hæc verba confirmat: Suſanna ſuo ſilentio hoſtes in ruborem dedit: non enim verborum id pondus fuit, quod judici ſe inſontem comprobarit: priusquam in verbum, adornatura ſuam defenſionem,

f lin-

linquam resolveret, causam illius peregit castitas: castitas, quæ in horto Susannam inviolatam præstitit, eandem quoque in judicio absolvit. *Tacente lingua pro ea castitas loquebatur: castitas Susannæ adjuit in judicio, quæ eam defendit & in Paradiso.* Hæ cogitationes illustres, vividæ, justæ, & sponte profluentes sunt.

Inter monita, & consilia, quæ S. Bernardus suo olim discipulo Eugenio suggessit, illustre est illud, cum dicit: Res est monstro simillima, altissimum in hoc mundo tenere fastigium, & animo infra illud deprimi; primam Ecclesiæ dignitatem tenere, & ab hominum novissimo vitæ ratione vix differre, grandia de se spondere, spesque optimas eludere, vultu gravitatem spirare, & nunquam sibi constare: (a) *Monstrosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima, lingua magniloqua, & manus otiosa, vultus gravis, & actus levis.* Cogitationes hæ satyram spirante acrimonia confertæ sunt.

Nihil sublime magis in Scriptoribus, quos vel Augusti felix sæculum dedit,

(a) De Consid. Lib. Cap. 7.

dedit, reperias, quod conferri cum eo possit, quod S. Ambrosius de Antiochena Virgine commemorat, quæ Diis thus adolere abnuens, pertracta fuit ad Lupanar, e quo felici se fuga proripuit, ne jacturam pudoris faceret, postquam vestem suam cum sago Christiani militis commutavit. Magnam ut omnibus de Virgine hac existimationem Sanctus hic in ipso dictionis initio ingeneret, ait: Virginem hanc mundum, communemque cum eo usum fugisse: sed quanto se magis oculis omnium subducebat, tanto ardentius omnes cupiditate eam videndi exarsisse, propterea quod abdita pulchritudo inquirentium desiderium acuit (a) *Fugitans publici usus, sed quo magis virorum vitabat aspectum, eo amplius incendebat: pulchritudo enim audita nec visa plus desideratur.* Subinde Sanctus inducit loquentem militem. Mitte omnem metum JESU Christi Virgo: non alium, quam fratris animum gero; non adeo animæ meæ prodigus sum, ut eam projicere velim: veni, ut animam meam in tutum portum subducerem: tutum me præsta, ut par tibi quoque sors obtingat: per te stabit, ut ad te adulteri instar ingressus, Martyrio no-

(a) L. 2. de Virginis.

nobilitandus discedam. *Ne quæso paveas, Virgo, frater huc veni, salvare animam meam, non perdere, serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis, Martyr egrediar:* mutemus habitum, non meus minus tibi, quam mihi tuus convenit, utriusque nostrum vestis JESUM Christum nova nobilitabit victoria. Veste tua abditus Christi militem induam, vestis mea Virginitatem tuam asseret. *Sume babitum, qui abscondat fœminam, trade, qui consecret Martyrem.* Subinde S. Ambrosius alium hominem inducit, qui flagitii certus, eo se intulerat, sed non reperta Virgine, quæ jam inde se proripuerat, attonitus, menteque ad meliora jam consilia flexa ita locutus est: quid hoc rei? puella ingressa est, & virum video: anne fabulæ rursum locus, ut cerva sufficiatur Virgini; non sane, Virginis locum miles explet. Auditu accepi, non tamen fidem adhibui, imperio Christi, aquam abiisse in vinum, nunc & sexum mutari intelligo, Gressum efferamus, dum nobis nostra nascendi conditio est integra; sed an non & ipse mutatus sum? ita sane, animo defœdatus hunc locum subii, spectata integritate revertar. *Puella ingressa est, vir videtur: ecce non fabulosum il-*

lud

lud, cerva pro Virgine, sed quod verum est, miles ex Virgine. At etiam audieram, & non credideram, quod aquas Christus in vinum convertit, jam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc, dum adhuc, qui fuimus, sumus; nunquid & ipse mutatus sum? pudicus exibo, qui adulter intravi.

Adeo materia omnis exhausta videtur, ut vix, quid pulchrius dici possit, supersit, quæ tamen sequuntur, ut ego quidem existimo, venustiora sunt. Ut ille, qui pro Virgine in vincula abreptus fuit, illius etiam loco supplicio addictus fuit: certior reddita Virgo, ad locum supplicii accurrisse dicitur, altero alteri gloriam Martyrii præripere volente. Ego, ajebat miles, morti addictus sum; sententia, quæ mihi pœnam irrogat, te tutam præstat. *Te absolvit sententia, quando me tenuit.* Contra exclamabat Virgo: Non te delegi, ut mortis meæ vadem te præstares, sed ut pudori meo consuleres. Si de pudore meo agitur, robur suum pactis constat: si vita expetitur, fide jussore non opus, superest, quo ipsa contracta nomina expungam. *Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optavi. Si pudor*

quæritur, manet nexus. Si ſanguis expoſcitur, fide juſſorem non deſidero, habeo, unde diſſolvam. Sententia contra me lata eſt, mea enim cauſa promulgata eſt: ſi illico reverſa ſum, quis me a morte prohibere audebit? ſi moras traxi, quis abſolvet crimine? Gravius quid in leges admiſi, quippe quæ non in fugam me modo conjeci, ſed & capitis periculum accerſivi alteri. Corpus Virginis, quod injuriæ exemptum eſt, habet in quod tormenta, quin mors exeratur: effugi probrum, martyrio me non abdicavi: veſtem poſui, datam Chriſto fidem non deſerui: ſi morti, quam in votis habeo, me eripis, non ſalutem tibi debeo, fraudibus me circumveniſti: non corrumpe beneficium, quod a te obtinui. *Si cito redii, quis me audet excludere? ſi moram feci, quis audet abſolvere? plus legibus debeo, rea non ſolum fugæ meæ, ſed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non ſufficiebant injuriæ. Eſt in Virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ: ego opprobrium declinavi, non martyrium tibi ceſſi.* Mutavi habitum, non profeſſionem, ſi me morti, quam deſidero, eripis, me non ſalvam reddidiſti, ſed decepiſti. *Noli eripere beneficium, quod dediſti.* Denique ſen-

ten-

tentiam judicis uterque nostrum explere possumus, si patiaris, ut prima moriar. Nostri persecutores non aliud, quam mortem irrogare tibi possunt. Virgo plures metus causas habet. Si fœminam, quæ communi omnium licentiæ objicitur, ad martyrii gloriam evexeris, majori tibi gloriæ cedet, quam si in novum discrimen eam conjicias, quæ jam jamque martyrio condecoranda videbatur. *Gloriosior eris, si videaris de adultera Martyrem fecisse, quam de Martyre adulteram reddidisse.* Certamen demum finit S. Ambrosius dicendo, & hanc vicisse, & illum, eo quod utrique mors obtigerit. *Duo contenderunt, & ambo vicerunt, nec divisa est corona, sed addita.*

Comparatio, qua Sanctus Virginem, & militem cum Damone, & Pythia confert, ingeniosa est, & si ausim dicere, pene modum excedit: accipe, quid Sanctus afferat, quo superatos ostendat fuisse a Christi Martyribus discipulos illos Pythagoræ, quorum alter alterius locum moriendo cupiebat explere, ut vadimonium obirent. Viri illi ambo & philosophia quidem imbuti erant: hic una Virgo, cuique victoriæ initia inde petenda erant, ut sexum suum vinceret: illi mu-

tuo uſu juncti, hos inter nihil amicitiæ interceſſerat. *Illi ambo Viri, hic una Virgo, quæ primo etiam ſexum vinceret: illi amici, iſti incogniti.* Illi uni duntaxat tyranno ſe obtulerunt, hi pluribus, & truculentis admodum, quos mutuum id amicitiæ certamen adeo non mitigavit, ut utrumque crudeliter enecarent. Philoſophorum unus obſtrictus, velut erat fidem promiſſorum exſolvere. Sui juris Martyres erant, nulloque inter ſe nexu obligati: Illi illuſtri documento prodituri erant, quo uſque amicitia ſe porrigere poſſet: iſti martyrii coronam unum actionum ſuarum ſcopum conſtituerunt. Denique illi in hominibus, iſti in DEO ſuas ſpes defixerunt.

Patres non minus felicibus cogitationibus lachrymas S. Magdalenæ, quam Petri exprimunt. Illa lachrymis perfuſa, dicit S. Gregorius, in medium ſe convivium intulit: diſcite, quo dolore correpta fuerit, quæ turpe ſibi non duxit lachrymas inter feſtas epulas effundere. (a) *Diſcite, quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubeſcit.* Teſte S. Paulino artem feliciter placendi invenit, non tam pretio munerum, quam affe-

(a) Hom. 33. in Lucam.

affectu commendata, quo Servatori se devovit: non enim odores exquisiti erant, quibus Numinis amorem sibi conciliavit: placuit ardens charitas, quæ illam extraneam subire impulit, quin eo vocaretur, quin ullum ludibrium metueret, hæc, inquam, charitas erat, qua armata non sine sancta impudentia, & audacia in convivium irrupit, vim eam adhibens, qua cœlorum regnum vindicatur: (a) *Non tam pretio munerum, quam obsequii placuit affectu: non enim unguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua prudenter impudens, & pie improba sine opprobrii, & repulsæ metu extraneam sibi domum non invitata illa vi petulans intravit, qua rapitur regnum cœlorum.* Idem Sanctus adjungit, Divam, si ita fas est dicere, Divam ad Servatoris pedes sacrarium sibi constituisse, erexisse aram, ad quam & lachrymas, & tenerrima cordis sui sensa effudit. *Ipsos sibi pedes sacrarium, ut ita dixerim, & altare constituit, in quibus litavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu.*

S. Hieronymus loquens de hac sancta Pœnitente, quæ pedes JESU lachry-

(a) Epist. 4.

mis abluit, & capillis tersit, eleganter, hanc nihil a communi fœminarum more, inquit, traxisse, quæ se comunt, dum in cœtus se inferunt, hujus contra pulchritudinem uno dolore absolutam, quo tanto Numinis gratiam demeritura esset certius, quanto minus hominibus probaretur: (a) *Quanto fœdior, tanto pulchrior.*

S. Hieronymus liberius aliquanto, venuste tamen sublimi suo spiritui indulget, loquens de viro ethnicis adhuc quidem superstitionibus merso, cujus tamen proles non modo Christum professæ erant, sed illustres etiam in pietate progressus fecerant. Postquam dixit, a familia sancta, fidelique sanctimoniæ quidpiam viro infideli aspergi, & fidei Canditatos inter censeri posse, qui filiorum, & nepotum Christianorum turba ambitur, adjungit: Ego quidem autumo, vel ipsum Jovem, si talis illi cognatio obvenisset, potuisse in Christum credere, (b) *Jam Canditatus est fidei, quem filiorum, & nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam ipsum Jovem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere.*

S. Cy-

(a) Epist. 4. (b) Epist. 7.

S. Cyprianus vehementia, zeloque pari in artificia fœminarum invehitur, quibus novum formæ suæ splendorem conantur accersere. Deus dicit: condamus hominem, qui similitudine quapiam ad nos accedat, nemo sit, qui opus DEI ausit corrumpere. Fœminæ contra, quæ pulchritudinem suam idolum velut constituunt, ipsum in Deum insurgunt, injuriamque illi inferunt, dum quod suis ille finxit manibus, innovare conantur. (a) *Manus DEO inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt*: pictor quispiam primi nominis, si artem suam in expingenda persona quapiam exhausisset, & exactæ jam ad leges omnes tabulæ pictor alius manum admoveret, absoluto jam operi quidquam de suo additurus, an non injuriam inferret alteri, justæque indignationi locum præberet? Vos autem an pœnas nullas de vobis repetendas creditis? an supremum artificem illatam sibi injuriam non vindicaturum censetis? vester fucus, & ornatus quamvis in numerum impudicarum vos non referat hominum sensu, tales tamen a DEO habemini ejus nempe opus vitiantes. Ornatus isti, hi cincinni, corroga-

tæ

(a) De Disciplin. & Habit. Virg.

tæ hæ, & ab arte petitæ veneres seditio velut sunt, quam in conditoris sapientiam, ipsamque veritatem movetis. *Ut enim impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis, violatis, quæ DEI sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio ista divini operis prævaricatio est veritatis.* Prosequitur Sanctus: an non metuitis, quæ hoc laboratis vitio, ne de illo, quo ad vitam redibimus, vos ut suas minime Creator agnoscat? *Non metuis*, oro, quæ talis *es, ne, cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat*, & iratus judex dicat: Hoc opus minime meis effectum est manibus, in vultu illo nihil similitudinis meæ reperio: unguentis illis, & aquis novam pellem induxistis, mutastis colorem capillorum, usæ estis artificio, ut quam corporis habitudinem, quæ naturæ tamen respondet minime, adjiceretis: omnia in vobis aliunde sunt accita: DEI aspectu tam diu non fruemini, dum ii in vobis coruscabunt oculi, quos non Deus fecit, sed diabolus infecit. Cæterum cogitationes hæ pleræque omnes e Tertulliano petitæ sunt, cujus scripta large in rem suam se vertisse Sanctus profitetur.

Solu-

Solutæ vitæ homines, qui ingenii famam adepturos se autumant, si veritatibus minime dubiis, quibus fides nostra innititur, obsistant, S. Augustino teste phreneticos inter referendi sunt: vires istæ non a valetudine prospera, sed a stultitia, & furore sunt profectæ: nihil facile reperias, quod cum phreneticorum viribus conferri possit: superant non raro robur sanorum: sed quanto magis vires illorum augentur, tanto plura, certioraque imminentis mortis indicia leguntur: (a) *Fortitudo ista non sanitatis est, sed insaniæ; nam & phreneticis nihil fortius; valentiores sunt sanis. Sed quanto majores vires, tanto mors vicinior.*

S. Basilius, ut veram nobis avari, qui satiari non potest, ideam ingeneret, dicit, mari suos esse terminos, quos ultra non effunditur, avarum contra modum nullum tenere, nulla in re, temporeque aquiescere. (b) Confert subinde avarum cum igne, qui obvia omnia amplectitur, flammis, quæ nunquam satiantur. Comparatio vivida, & bella est, sed non minus exprimendo vitio aptum, quod adjungitur. Loquens enim Sanctus de hominibus, qui ipso jam ab ortu

(a) In Psal. 58. (b) Hom. in ditescentes.

ortu domeſticis conflictati anguſtiis, divitias ſubin e publicis impendiis, & incrementa e miſerorum ruinis quærunt, ait, ſimiles ſunt fluviis, qui in ortu ſuo tenues vix volunt aquas, ipſo in curſu, vix ut oculis percipias, creſcunt, dum demum, qua late procumbit planities, effuſi, quidquid curſui obſtat, horribili ſtrage aufferunt. Pari ratione, quibus mediocris, non raro humillima naſcendi ſors obtigit, ſummas ad divitias, paresque honores eluctantur: rudimenta velut mediocris in muniis ponunt, ab his ad illuſtria per gradus velut evehuntur, easque opes intervallo temporis non maximo corradunt, ut omnis apud eos magnitudo collecta videatur. Viſa domorum magnificentia, menſæ luxu, apparatus ſplendore, comitantium numero dicere poſſis: Qui ſunt hi? Num primarii rerum agendarum Miniſtri? Num ipſi fors Principes? Qui tamen prædas, ubi ubi licuit, agendo tantum opum accumularunt. Fortunam nempe adeo inſolitam violentiæ, & injuſtitiæ ſuæ debent.

De Nerone, qui primus Cæſares inter naſcentem tum admodum religionem perſecutus eſt, Tertullianus magno ſpiritu,

ritu, gloriæ ducimus, inquit, ab hoc nos primum homine condemnatos; qui enim ſuo merito Neronem æſtimarit, perſpiciet facile, non potuiſſe ab illo improbari, niſi rem excellentem, omnique veneratione dignam. (a) *Tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.*

Cogitatio S. Paulini de amore, quem DEUS a nobis depoſcit, pulcherrima eſt. Quantas a nobis gratias DEO par eſt referri, qui ad expedienda tot, quibus ipſi obſtricti ſumus, nomina non aliud, niſi ut ſe amemus, imperat, vel potius hoc depenſo pretio omnia nobis condonat debita? Principe loco hoc charitatis præceptum reponens modum demonſtrat, quo pauperes, & impares omnino tot expungendis nominibus ea diſſolvere poſſimus. (b) *Ipſi gratias, qui nobis tanti fœnoris remittit uſuras, & obligationis immenſæ compendium præſtat ſolam a nobis ſui dilectionem repetens: quam inter præcepta principali loco ponens oſtendit, quomodo inſolubile debitum etiam inopes ſolveremus.* Nemo ſolvendi difficultatem obtentui ſumat: nemo enim ex

(a) Apolog. Cap. 5. (b) Epiſt. 4.

ex vero dicere poteſt, cor ſibi deeſſe. *Nemo ſe excuſet difficultate ſolvendi: quia nemo poteſt dicere, ſe animum non habere.* Non exiguntur a nobis ſacrificia, non munera, non arduus labor; in nobis enim repoſitum habemus, quo ſatisfaciamus; amorem noſtrum, quo collibitum, flectere poſſumus: transferamus hunc in Servatorem noſtrum, & abſoluti ſumus. Addo quid amplius: hac ratione, par referentes gratiæ, quæ a DEO nobis facta eſt, eum velut adigimus, ut novum exhibeat beneficium, & creditorem noſtrum debitorem habemus. *Addo etiam amplius, eum, qui creditor eſt, debitorem fore.*

Philoſophi, dicit S. Hieronymus, ſummis laudibus extollunt cogitationem Platonis, vitam nempe ſapientis in aſſidua mortis meditatione verſari. At præferenda ſunt verba S. Pauli profitentis, quotidie ſe mori: agere enim majus multo, excellentiusque eſt, quam conatum duntaxat ad agendum adhibere, multumque diſcriminis intercedit, an vivas moriturus, an moriaris victurus. (a) *Aliud enim eſt conari, aliud agere; aliud vivere moriturum, aliud mori victurum.*

Sermo

(a) Epiſt. 3.

Sermo, quo S. Flavianus Episcopus, Cæsarem Theodosium ob eversam statuam populo iratum conciliare conatus est, quemque S. Chrysostomus in Homilia ad Antiochenum populum refert, ingentem spirat eloquentiam: (a) petitas aliquot ex eo lineas, cogitationesque habe, Gravissimus is ex delicto dolor nos premit, quod de nobis optime merito male usque adeo vicem retulerimus. Stringe in nos ferrum, Cæsar, incendio urbem dele, suis ruinis contumula, supplicium quodvis utut rigidissimum nostrum scelus non æquabit. Præstiterat, si Antiochia in prædam cessisset barbaris, si incolæ ejus omnes in captivitatem abrepti fuissent: tu nobis unus superabas, qui ruinas nostras repararet, qui in libertatem nos asseréret: sed postquam Patris, & Principis optimi offensam incurrimus, postquam tua excidimus gratia, quo demum nos referemus? ubi asylum, in quo e tantis malis respiremus, aperietur?

Interim tamen, magne Princeps! superest remedium malis, quæ manum medicam prorsus excludere videntur. Magnis injuriis clementia Heroa commen-

(a) Homil. 20. ad popul. Antioch.

mendatur, nunquam tantum ſplendoris conſecutura, niſi aliena eam delicta comprobaſſent. Non abnuo, dejecta eſt tua ſtatua, ſed ſplendidiorem, cum voles, eriges; amor, & accepti beneficii grata memoria te inter immortales in omnium animis reponet. Clementia non minus ad Regnantum gloriam, quam armorum vis, & provinciarum amplitudo valet. Lapidibus a laſciviente populo Conſtantini ſtatua impetita dicitur, non deerant plures Aulici minime in ea Cæſaris injuria lenti, qui facinoroſos ad ferale ſupplicium abripi depoſcerent, quod hoc furore ipſum Conſtantini vultum deformatum dicerent: at Imperator, manum fronti non ſine riſu admovens, repoſuit: dicta veſtra non moror, at certos vos jubeo, nullum mihi quidem vulnus inflictum. Sapiens hoc reſponſum alte omnium memoriæ eſt impreſſum, tempus, quod illuſtribus quantumvis monumentis minime parcit, illud minime obliterabit. Plus ad Conſtantini gloriam affert, quam triumphi, victoriæque omnes: urbium, quas condidit, nomina vix bene tenemus, numerum vix ſubducere poſſumus hoſtium, quos profligavit: at mite adeo reſponſum ignorat nemo,

ad

ad seram usque posteritatem transmittetur. Sed quid exteris exemplis utor? cur Constantinum testem voco? non alio authore, nisi te uno opus est, ut laude & recordatione sæculorum omnium digna constituas. Redeat tibi in animum decretum illud, quod in provinciis omnibus pauculos ante annos sub Paschatis ferias promulgari voluisti: jussisti eo in libertatem asseri captivos omnes, etiam rerum capitalium reos; comprobabat tuum decretum, voluisse te vitam infelicibus illis reddere, quos mors tuæ jam clementiæ eripuit. Hoc rerum articulo in mentem tibi voces tuæ redeant: vide tempus, quo in vitam revocare potes incolas Antiochiæ omnes, merito inter mortuos referendos, postquam tua exciderunt gratia. Ne locum præbe Consiliariis improbis, qui ad vindictam te acuunt, ceu vero authoritatis tuæ jacturam quam facturus esses, si cum Antiochenis in gratiam redieris. Quæ enim metus tibi causa a turma miserorum hominum, qui metum mortis vultu præferunt, qui feralem ictum in dies expectant, & ipsa salutis spe exciderunt? Viri, infantes, ipsæ spectatæ magis conditionis fœminæ in cavernas se per noctem referunt, ut tuam

iram effugiant: plures tuæ se iræ subductæ belluis ferocibus in prædam cesserunt: omnes sortis suæ incerti nutant. Antiochia, quæ intacta adhuc hodie, perstat, sortem suam invidet urbibus, quarum busta, cineresque duntaxat restant. Cogita, invicte Princeps, non de tua modo, sed Christianæ Religionis agi gloria; Judæi, Græci, exteræ nationes omnes arrectis animis sententiam tuam expectant: si clementiæ locum dederis, Domino nostro laudes persolvent: quanta non, inquient, quamque insolita virtute est fides Christi? repressit iram Principis, qui in terris nihil par amplitudini suæ videt: inspiravit illi moderationem, quam naturæ unice viribus minime exercere licet. Quam potens est Christianorum DEUS Angelos in homines vertens, tollensque prorsus, quidquid iis fragilitatis insidet? Facile est regnantibus vindicare subjectorum crimina, at pauci eam sibi magnanimitatem imperare possunt, ut vel iis ignoscant, quos criminum admissorum atrocitas ea prorsus excludit.

In more habent Legati petitis suis munera adjungere: me quod attinet, legem tibi divinam offero, &, ut Magistri

giſtri tui, qui tot impetitus injuriis non niſi beneficia in nos diſpenſat, Magiſtri, inquam, hujus ut exemplum ſequaris, te adjuro. Antiochenorum crimen ſi obliteras, ſi in gratiam eos admittis, lætus redibo: ſi veniam abnuis, eam non reviſam; voluntarium mihi exilium indicam; avertant Superi, eo ut in loco degam, in quem mortalium omnium humaniſſimus non niſi indignationem, & odium verſat.

Teſte S. Cypriano, quæ oculis alienis probari deſiderat, quæ petit alienis cordibus amorem inſtillare aliquem, minime caſta eſt, licet corporis integritatem illæſam ſervet: *Non eſt pudica, quæ affectat animum alterius movere etiam ſalva corporis caſtitate.*

Chriſtianas ſubinde fœminas hortatur, ut eo ſe ornatu abdicent, quo pulchritudo non tam ornatur, quam contaminatur. *Longe abſint, quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur.* Illa, quæ non ſatis pulchra ſibi videtur in vultu, quem DEUS effinxit, nunquam non miſera eſt. *Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet, qualis eſt.* Quid capillorum

(a) De Diſciplin. & Bono. Pud.

lorum color mutatur? quid pulchritudo arte accersitur? quid speculum tam frequenter consulitur, nisi quod metuitur, ne hoc nativam formam referat? *Quid speculum consulitur! nisi, quia ne ipsa sit, timetur?* Ipse ornatus castæ castimoniam spirare debet, Christiana ne in coloribus quidem adulterii quam speciem sustinet. *Adulterium fidelis nec in coloribus noverit.* Omnes hæ cogitationes Scriptoris spiritum comprobant. Quod subjungit Sanctus de magnificis vestibus, auro, & gemmis distinctis, non minus ingeniosum est: Quod prodigium! fœminæ modicis usque adeo instructæ viribus ad deferendas luxui servientes sarcinas viris robustiores sunt multo. *Mirum negotium! mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.*

Temporis sui calamitates egregie describit S. Bernardus dicens, DEUM sceleribus nostris irritatum, orbem terrarum pro rigore justitiæ suæ, priusquam constitutum judicii tempus advenisset, judicasse suæ velut misericordiæ oblitum. (a) *Cum Dominus provocatus peccatis nostris tempus quodam modo visus*

(a) De Consid. Lib. 2. Cap. 1.

sus sit judicasse orbem terræ in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus.

Multum vivacitatis, plus sensus continet S. Eucherii dictum, dum invehitur in divitias, & succedenti jura, quæ homines animæ, & saluti præferunt. Amor humanus, quo devius ferris, & quousque abriperis? nosti amare bona, quæ possides, vel quæ hæreditate tibi obtingunt, & quem tibi amorem impertire debeas, ignoras. Extra te positum est, cui tuum affectum, & desideria dedicas, redde te tibi, ut te, quam tua potiore in loco habeas. (a) *Quo devius, ac præceps hominum amor raperis? scis ea, quæ tibi obveniunt, diligere, & te ipsum diligere nescis. Foris est, quod amas, extra te est, quod concupiscis. Revertere potius in te, ut sis tu tibi charior, quam tua.* Si sapiens quispiam se tibi jungeret, & amicitiam tuam ambiret, tu illum magis amares, qui te, non quæ te cingunt fortunæ munera, amat. Si ipse tibi amicum posses deligere, an non eum præferres, qui te, non fortunam tuam sequitur? Desideras, ut amicus tuus fidem homini, non divitiis hominis præstet. Quod ab alio tibi exhibere cupis,

(a) De Contemptu Mundi ad Valeria.

ipſe prior tibi non nega, qui tibi cumprimis fidem debes. *Vis hanc homini fidem ſervare, non rebus. Quod tibi tribuere velis alium, ipſe hoc tibi, qui tibi fidiſſimus es, tribue.*

S. Fulgentius, poſtquam eum locum ſacrarum literarum retulit, ubi dicitur, præſtare eum leonibus, & draconibus deſerti, quam cum fœmina facinoroſa commorari, dicit de Herodiade: contemptui habuit oblatam coronam, & non aliud præter Joannis caput expetiit, acriori odio inſectata Prophetam, qui inceſtum prohibuerat, quam Principem amabat, qui regnum ſpoponderat. Quo uſque non fœminæ malitia pertingit? ſpe ducta effundendi humani ſanguinis nihili fecit coronam regiam; nempe impudica majores honores conſequi non adlaborat; modo libidini ſuæ litare liceat. (a) *Plus odiens eum, qui interdixit inceſtum, quam diligens eum, qui promiſerat regnum. O nequitia fœminæ! Elegit contemnere honorem, ut lucrum faceret ſanguinem. Vere, quia non cogitat de imperio, cui charior eſt turpitudo.*

S. Pau-

(a) Super Evang. Matth. Audivit Herodes.

S. Paulino teſtante ſuperbia modeſto, & demiſſo tecta habitu minus tolleranda eſt, quam quæ palam ſe prodit: nam neſcio, quomodo eveniat, ut vitia, cum virtutum ſpeciem mentiuntur, formam præ quam alias magis horrificam induant. (a) *Multo deformior illa eſt ſuperbia, quæ ſub quibusdam humilitatis ſignis latet: neſcio enim, quomodo turpiora ſunt vitia, cum virtutum ſpecie velantur.*

Invectiva Salviani in ſpectacula, quo vivebat, tempore edita, ingenioſa, & acris eſt. (b) Theatrum ſolum ea impuritate laborat, quæ ne quidem ſine offendiculo reprehendi poteſt. *Solæ theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſte non poſſunt vel accuſari.* Spectans populus infanda illa Jovis, Venerisque adulteria, impia ea flagitia animo perpetrat. *In illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs animo fornicatur.* An ergo nullum nobis ſuppetit gaudium, niſi quo crimen admittitur? credimusne purum, & criminis expers gaudium vera lætitia animum noſtrum perfundere non poſſe? nullasne delicias niſi crimine emi poſſe cenſemus? *Nun-*

g 5 *quid*

(a) Epiſt. 50. (b) Lib. 6. de Prov.

quid lætari, & ridere non possumus, nisi risum nostrum atque lætitiam scelus esse faciamus? an forte infructuosum putamus gaudium simplex, nec delectat ridere sine crimine?

Est id magnarum plerumque mentium, ut quam acti *spiritu*, tam tenero subinde *corde* sint: S. Ambrosius non minus, quam S. Augustinus hac in re Ciceronem, & Plinium Juniorem aut æquant, aut superant. Sensus Magni hujus Doctoris Ecclesiæ, & Archiepiscopi Mediolanensis, quibus dolorem ob mortem Fratris sui Satyri contestatur, vix sine lachrymis vel hodie legi possunt. In ipso laudationis aditu dicit: gaudendum magis, tali mihi unquam fratre frui licuisse, quam dolendum, ejus me jacturam fecisse. (a) *Lætandum est magis, quod talem fratrem habuerim, quam dolendum, quod fratrem amiserim.* Consimilia hæc iis sunt, quæ S. Hieronymus ad Heliodorum scripserat, ad mitigandum illius dolorem ob mortem Nepotiani nepotis. Adjungit Sanctus: quantumvis privatus duntaxat efferatur, communis tamen totius orbis luctus, communes eum prosequuntur lachrymæ,

(a) De Excessu Satyri. 1. 6.

mæ, mors illius communi omnium dolore nobilitatur, e quo ipso conjicere licet, eum minime diuturnum futurum. Pauperes præ aliis in lachrymas solvuntur uberius, & hæ ipsæ lachrymæ sunt, quibus expiantur crimina, gemitus hi, quidquid morti triste, & lugubre subesse potest, abolent. *Licet privatum funus, fletus tamen est publicus; & ideo non potest fletus esse diuturnus, qui universorum affectibus est consecratus. Illæ sunt lachrymæ redemptrices, illi gemitus, qui dolorem mortis abscondunt.* Alloquens subinde fratrem suum exclamat: tu meum semper stipabas latus fratris amorem, & curam patris mihi impertiens. Qua solicitudine senex juvenis cujuspiam commodis solet consulere, hac tu mea causa laborabas, præcipuum honorem, quem juvenis seni defert, tu mihi habebas: adeo ut uno duntaxat sanguinis nexu junctus officia omnia mihi redderes, quæ a plurimis necessitudinibus sperare non poteram: & id causæ est, quod non unum, qui solus meos amores abstulit, sed plurimos amisisse mihi videar, quorum jactura summe tangor. *Pio semper affectu latus meum tuo latere sepiebas, charitate ut frater, cura ut pater, solicitudine ut senior, reverentia ut junior,*

junior, ita in unius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas, ut in te non unum, sed plures amissos requiram. Quid agam mei successor hæredis? Quid agam coactus ei superesse, quem vita mea potiorem duxi? *Quid agam meæ vitæ superstes?* quas tibi grates referam? quid tua causa suscipiam? nihil præter lachrymas, quod tibi consecrem, mihi suppetit, & quæ tua felicitas, tu sors ea non exigis, quas tamen unice tua jactura reliquas mihi fecit: lachrymis mihi interdixisti, contestatus haud semel, meo te mœrore magis quam propria morte cruciandum. Lachrymæ vocem meam impediunt, reverentia, qua in te sum, sermonem meum cohibet, ne forte, tum jacturæ tuæ illachrymor, de salute tua desperare videar; & quia, ut palam, quod sentio, edicam, tu meum dolorem mitigas: nulla res est amplius, quæ timorem mihi novum ingeneret, mihi inquam, quem tu unice solicitum reddebas. Nec id quidem gloriæ relictum est mundo, ut habeat, quo possit spoliare. *Non habeo, quid timeam, qui timebam tibi. Non habeo, quod mihi jam mundus eripiat.* Amor, quo in te eram, vitam mihi jucundam reddidit, amor, quo in te sum, efficiet, ut vel mor-

mortem lucro apponam: impetrare a me non possum, ut post mortem tuam vel momento vitam cupiam producere. *Propter te vivere delectabat, propter te mori non pigebat, tibi supervivere non juvabat.*

Expressiones hæ, neque duri, asperique genii fuisse Sanctos Patres, neque stoicam indolentiam affectasse, verbo *cordis* teneritudinem apud illos optime cum *spiritus* granditate respondisse, abunde testantur. Sanctus, postquam cœlo grates persolvit, quod ex Sicilia, Africaque incolumem sibi fratrem revexerit, conspecta tumba, quæ charos adeo cineres complectebatur, animum mœrore dejectum erigit. Teneo jam, quo uno mei amores includuntur, quod nullum iter mihi unquam eripiet. Restant pretiosæ exuviæ, in quarum complexum, quoties visum, ire licet. Superest urna, quam meo corpore tegere, & ad quam possum conquiescere. *Habeo, quas complectar reliquias, habeo tumulum, quem corpore tegam. Habeo sepulchrum, supra quod jaceam.* Fecissent utinam Superi, ut corpus meum pro te mortis furori potuissem objicere! ah! si quis gladio te ferire tentasset, meum sinum, quo ictum

ictum reciperem, obtulissem; si animam tuam e corpore emigrare parantem morari licuisset, meam ultro obtulissem.

Quod subinde addit Sanctus, teneritudine ea, cui vix quidam addi potest, est conceptum. Nihil mihi profuit suprema tua collegisse suspiria, nihil meos anhelitus morienti tuo ori inspirasse: spe ducebar, futurum, ut vel tuam mortem haurirem, vel meam tibi vitam conferrem. *Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatus in os inspirasse morienti; putabam enim, quod aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te transfunderem.* Quantum non dulcedinis in illis osculis, utut mihi tristibus, sensi! quam funesti illi mihi amplexus erant, inter quos animam egisti! toto te mihi pectore adstrinxi, sed illud simul effluxit, quod meis brachiis innexui. E tuis labris supremos anhelitus collegi, tibi commoriturus: sed ab his nova velut vita animatum me sensi, usque adeo novam dulcedinem, novamque gratiam ipsa in morte sum expertus: si per mea utut ardentia suspiria non licuit fugientem tuam morari animam, vitamque producere, in votis certe fuerat, ut su-

pre-

premus tuus anhelitus meum imbueret ſpiritum, conferretque puritatem, eamque innocentiam, quo animus tuus enituit. Hæc una hæreditas erat, frater chariſſime, in quam immitti optabam.

Amor fraternus altius provehi non poteſt: profani Oratores, ipſique Poetæ non habent, quæ cum his conferri poſſint. Invenit tamen Sancti ingenium, quod ad pulcherrimas has expreſſiones adjungeret.

Eritne unquam, ut tui mihi memoria excidat? eritne, ut ad te cogitationem referam, quin lachrymis perfundar? *An ego poſſum aut non cogitare de te, aut nunquam ſine lacbrymis cogitare?* Poteritne unquam memoria excidere fratris, qui tantas in ſe virtutes collectas tenuit, quin illico ipſum gaudium dulces mihi lachrymas proliciat? qua enim unquam per vitam fruitus ſum dulcedine, quæ non a te promanaſſet? quid mihi unquam jucundi ſine te, aut tibi ſine me evenit?

Sermonem ſubinde ad ſororem vertit, quæ morte dilecti adeo fratris in extremum mœrorem conjecta fuit, quin a de-

a defuncti ſepulchro avelli ſe pateretur, deinde addit: nam de me quid loquar, cui mori integrum non eſt, ne ſororem afflictam deſtituam, neque vivere libet, propterea quod a te ſejungi non ſuſtineam? *Nunquid de me loquar, cui neque mori licet, ne ſororem relinquam; neque vivere libet, ne a te avellar?* Longius ſubinde doloris impetu provectus barbari, inquit, oculi! qui morientem fratrem ſpectare potuerunt! crudeles manus, quæ clauſerunt oculos, quibus magis, quam meis cernebam! *O dura oculorum lumina, quæ potuiſtis videre fratrem morientem! O immites, & aſperæ manus, quæ clauſiſtis oculos, in quibus plus videbam!* Qualem te, frater, intueor? nullum reſponſum mihi reddis? nullum indicium mutui in me amoris in te lego. Interim tamen feliciter tecum, frater, actum exiſtimo, cui in hoc ætatis flore, & hoc cumprimis tempore mori datum eſt. *Ego te vero, frater, cum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror.* Non es raptus, ſed extra pericula poſitus. Non amiſiſti vitam, id lucri feciſti etiam, quod nihil eorum infortuniorum metuere poſſis, quæ nullo non latere imminent. Iterum, iterumque

que felix, quem opportuna mors tot, quæ toleramus, malis abſolvit! *Felix igitur tam opportuno obitu, quia non eſt in hunc ſervatus dolorem!*

Poſtremæ hæ cogitationes ereptæ, aut imitatione expreſſæ ſunt: prima Ciceronem, altera Virgilium authorem habet. Illa petita eſt ex iis Ciceronis verbis, quibus Craſſi felicitati gratulatur, qui mala reipublicæ morte ſua effugit: (a) *Ut mihi non erepta L. Craſſo a Diis immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur.* Altera cogitatio, ut notat Nannius in appoſitis ad D. Ambroſium Commentariis, ſimilis eſt illi Æneidos, ubi felix prædicatur Trojana quæpiam filio præmortua, qui in ætatis flore occubuit. (b) *Tuque, o ſanctiſſima Conjux, felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem.*

Sancti teneritudo nec hic acquieſcit: poſtquam dixiſſet per ſomnia ſibi referri fratrem, quocum colloquium miſcet, & quem teneris ſtringit amplexibus, adjungit: ſomnus, qui vivente te mutuum noſtrum uſum abrumpebat, qui nos privabat dulcedine, qua frue-

h bamur

(a) De Oratore lib. 3. (b) Lib. 11.

bamur ex conspectu, alloquioque, dulcis nunc mihi est, propterea quod te aliqua mihi ratione reddat. Addit, quod amplius est, noctium tædio tolerando imparem se futurum, nisi somnia eum sibi reveherent, quem intueri amplius non licet. *O flebiles noctes! quas ederetis cruces, nisi se ostenderet imago præsentis, nisi visiones animi repræsentarent, quem species corporis denegaret.*

Denique, quo funebrem sermonem finiat, eo relabitur, ut mortem optet, ne longius fratre carere cogatur. In hoc te sequendi desiderio, quo ardeo, non desis mihi, & si me desidem repereris, voca me, tam diu enim mutuam separationem ferre non possumus. Tu in more habueras, te mihi rursum jungere: nunc cum tibi integrum non sit ad me venire, ad te ibo. *Nunc quoniam redire tu jam non potes, ad te ibimus:* æquum est, ut par tibi referam, & meo te ordine revisam. In eo, quod communis vitæ usus postulat, nunquam sejungebamur. Omnia inter nos consociata erant, sanitas, & infirmitas, adeo, ut si minus recte haberet alter, alter quoque ægrotaret, & tum alter valetudinem recuperaret, alter eodem quo-

que

que tempore morbo levaretur. Quomodo nunc a nostra consuetudine abivimus? & quæ causa, quod simul ægrotantes, non eodem simul morbo conficeremur? *Consortium ægritudinis fuit, quomodo mortis consortium non fuit?*

Nihil, S. Hieronymo teste, quod finem aliquando sortitur, diuturnum dici meretur. Effluunt cuncta, & modicum intra temporis spatium evanescunt. Quis autumasset futurum, ut Roma, quæ inter victorias adolevit, & totius orbis imperium nacta est, breve adeo intra tempus suo splendore exuatur, & quibus matrem se præbuit populis suis, iis communem velut tumulum præbeat. (a) *Nihil longum est, quod finem habet. Quis crederet, ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis & mater fieret, & sepulchrum?*

Animadversio S. Augustini in sermonem custodum sepulchri Christi redarguendis illis cumprimis opportuna est. Dum somno depressi essemus, dicebant, illi venerunt discipuli, & rapuerunt corpus ejus. In quæ verba ita commentatur

(a) Proœm. in lib. 3. Commentar. in Ezech.

Divus. Quis est, qui testimonium reddit? dormiens. Qui furor? si vigilabas, cur passus es eripi? si somno acquievisti, unde nosti? (a) *Quis est, qui dicit testimonium? qui dormiebat. Stulta insania! si vigilabas, quare permisisti? si dormiebas, unde scisti?*

Epistola S. Eucherii ad Valerianum de mundi contemptu plena est pulcherrimis sensibus: en horum aliquem, qui jure arrectum animum postulat. Qui fieri potest, ut sæculi honores magni fiant, postquam sceleratos non minus, quam bonos ad eos attolli videmus, quin dignitatibus non tam bonos ab impiis discerni, quam illis temere adeo collatis ordinem, qui tenendus fuerat, omnem eliminari? (b) *In honoribus hujus mundi quæ æstimari dignitas potest, cum ad hanc promiscue cum bonis mali ambitione conscendant, dignosque & indignos non jam discernat dignitas, sed confundat?* Sed quid dico? sublime illud fastigium, in quo boni malis præferendi fuerant, reddit eos aliqua ratione æquales, & insolita prorsus ratione satis sentimus hodie, vix alibi minus discrimen inter bonum, malumque reperi-

(a) In Psal. 26. (b) Epist. de contemptu mundi.

periri, quam in dignitatum administratione. *Ita, quæ meliores deterioribus præferre debebat, æquare cœpit, novoque modo optimi, ac pessimi viri nusquam fere minus discrimen est, quam in honore.* Majori pene hodie gloriæ ducêndum, ultroneo se contemptui, tenebrisque addicere, quam id genus honores admittere: æquius multo, suis se moribus, quam dignitatibus commendare, quas vitia, & virtus æqualiter tenent. *Nonne honor major est hujusmodi honore inhonorum esse malle, ac suis magis moribus, quam promiscuis honoribus æstimari?* Laus præcelsa, Satyram tamen redolens, ea est, qua D. Bernardus purpuratorum Principum quendam condecorat, qui cum Legatione Pontificis nomine in regno, auro, argentoque conferto fungeretur, adeo tamen pauper sua e legatione rediit, ut vehiculo destitutus ægre Italiam contingere posset. Sanctus, ut simul animum viri ab omni lucri cupiditate alienum extollat, simul avaritiam, quæ Romanam curiam occupabat, perstringat, exclamat. An non res est, quæ vix perdito hoc sæculo fidem inveniat, Legatum e terra auro abundante redivisse, quin illud afferret? transiisse per terram, in qua ar-

gentum nascitur, & ne quidem scivisse, illud ibi gigni? (a) *Nonne alterius sæculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro? transiisse per terram argenti, & argentum nesciisse?*

E pulcherrimis Salviani locis est ille, ubi invehitur in Trevirenses ab Imperatoribus Circenses ludos petentes, postquam nuper admodum illorum civitas a Barbaris direpta esset. Spectacula ergo deposcitis? & hæc quidem in lugubri vestra conditione, capti, in ruinas acti, postquam tantum sanguinis, tantum lachrymarum dedistis, postquam tantis calamitatibus oppressi estis, quantas communis depopulatio inferre potest. (b) *Circenses ergo desideratis? & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, & sanguinem?* Quid fletu, quid miseratione magis dignum, quam id genus stultitia, furorque? Fateor, miseros vos credidi, postquam tantis vos malis objectos vidi, sed florentem vestram conditionem video, postquam publica spectacula petitum venistis: credebam bonis vos duntaxat in eo fortunæ turbine exutos, sensu ipso, & ratione exutos vos

(a) De Consid. Lib. 4. Cap. 5. (b) Lib. 6. de Provid.

vos minime autumabam. Adjungit deinde: spectacula ergo quæritis? Circenses ludos a Principibus postulatis? sed amabo, cui populo, cui urbi præberi eas delicias petitis? nempe urbi incendiis defœdatæ, eversæ, populo evastato, cujus pars major periit, quæque superest hodie, nonnisi luctus, & mœroris causas habet. *Circum a Principibus postulatis; quæso, cui populo? cui civitati? urbi exustæ, ac perditæ, plebi captivæ, & interemptæ, quæ aut perit, aut luget.* Ut nesciatur fere, utrius partis sors sit durior, num ejus, quæ periit, an ejus magis, quæ superest adhuc, viventium enim calamitates usque adeo auctæ sunt, ut superent infelicitatem mortuorum. Ludos ergo publicos edi cupitis? sed edicite, ubi eos præberi desideretis: an super infelices ruinas urbis incendio absumptæ? an super tumulos, & cadavera? an super terram recenti interfectorum sanguine madentem? *Ludicra ergo Trevera petis, ubi quæso exercenda? an super busta, & cineres, super ossa, & sanguinem peremptorum?* Nam quo demum loco funesta belli vestigia non sunt impressa? ubi non cadavera sanguine adhucdum roritantia, laniata, & in frusta dissecta

membra? terror ubivis diffunditur; mortis imago nulla non parte occurrit: reliquiæ infelicis urbis tumulis infelicium illorum illachrymantur, quibus furorem gladii effugere non licuit, & tu spectacula flagitas! Urbs fumat adhuc incendiis, quæ domos vestras hauserunt, & tu lætum vultum induis? urbs tota luctu depressa est, & tu gaudiis indulges? ipsum cœlum ad vindictam provocas probrosa mollitie, & superstitione sacrilega. Non admiror, tantis te calamitatibus obrutam; tria enim excidia urbis cum te ad frugem non revocarint, quarto perdi meruisti. *Quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* Omnia mira cogitationum ubertate redundant; vixque in Cicerone, aut Demosthene spirantem magis eloquentiam invenias.

S. Cyprianus ingeniose definit virginitatem, quam Virgines DEO consecrarunt, & illæsam per vitam asseruerunt, dum eam nominat gloriosam vitæ futuræ expressionem, innocentem infantiam, quæ nunquam terminatur. (a) *Virginitas quid aliud, quam futuræ vitæ gloriosa meditatio, perseverans infantia?*

(a) De Bono pudicit.

tia? Alio in loco ad Virgines loquens dicit: Felicem sortem, quæ nobis aliquando obveniet, jam tenetis. Viventes adhucdum gloriam illam prævertitis, ad quam vitæ redditi aliquando provehemur. (a) *Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis; vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis.*

Cogitationem hanc aliis verbis expressit S. Bernardus: castitas sola est, quæ in hac vita mortali felicitatem, & immortalem gloriam refert. (b) *Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quempiam immortalitatis gloriæ repræsentat.* Tertullianus non minus virginitatem extollit, dum ait, castimoniam illæsam per vitam præstare, majus esse, quam suo eam consignare sanguine: (c) *Majus est in castitate vivere, quam pro ea mori.* Sed quod S. Ambrosius adjungit, dictis superioribus multo nobilius est: Virginitas non eo modo e capite est celebranda, quia Martyres illa inclaruerunt, sed quia illa ipsa martyrii honore cultores suos nobilitat. (d) *Non ideo laudabilis*

(a) De habitu Virg. (b) Epist. ad Henric. Senon. Episc. (c) Exhort. ad Castit. (d) Lib. 1. de Virginit.

Virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres facit.

Quod DEUS juvenem Danielem sacro suo ardore imbuerit, ut irritas redderet accusationes propudiosorum illorum Senum, qui Susannam falso oneraverant crimine, S. Maximus eleganter dicit: abunde castitati consultum est a Numine, dum illi Judex virginitate inclitus decernitur; certa est victoria, dum causam apud tribunal virginitatis agit: nam non nisi sapientis, & modesti est sententiam ferre de fœmina sapiente, & modesta, apud quem nullum periculum pudor incurrat. (a) *Secura est decretoria castitatis, cui est judicatura Virginitas, pudicitiæ autem causam nisi vir pudicus audire non debuit. Talem arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur Verecundia.*

Philosophus Christianus, qualem describit S. Gregorius Naz. sapientem Senecæ, & magnanimum Aristotelis superare mihi videtur. (b) Talis Philosophus est genii superioris, & firmitatis communem ultra rerum ordinem eminen-

(a) Hom. 1. de accusato, & judicato Domino apud Pilatum. (b) Orat. 28.

nentis, qui res adversas, & communis vitæ calamitates ut semen maximarum virtutum ducit, ipsis in doloribus gaudio gestit, fortuna adversa gloriatur; cruciatus ipsi firmitatem animi adeo non expugnant, ut ne serenitatem quidem frontis obnubilent. Nihil ejus animum dejicit, magnanimitati, & sapientiæ hujus cedunt omnia; si bonis spolietur, commodisque, quæ mundus habet, alæ illi non desunt, quibus in cœlum evolet: in sinum DEI emicat, apud quem jacturas omnes reparat, quique unus omnium aliarum rerum locum explet. Quamvis conflatus sit ex materia, vivit tamen, ceu illius expers foret: corpore quantumvis oneratus, spiritu tamen unice inter tot adversa vivere videtur: credas nihil ad eum pertinere eas ærumnas, quibus conflictatur: facilem de se omnibus præbet victoriam, una animi magnanimitate concedit nemini, & in eo ipso, in quo vinci se patitur, de iis ipsis triumphum refert, a quibus victus videtur.

Numinis offensam incurristi (ita S. Augustinus peccatorem alloquitur) quo te recipies, ut iræ te ejus subducas? tum ad se sermonem convertens respon-

respondet: Quocunque me contulero, te Domine invenio, & si irritatum te quidem invenio, judicem, & ultorem meorum criminum habeo: non aliud ergo, quod agam, mihi superest, quam ut non a te, sed ad te confugiam. Ut indignationi te hominis subducas, ab iis te locis auffers, in quibus Dominus tuus commoratur, sed ut gratiam a DEO ineas, ad eum te refer, & in illius te brachia conjice. (a) *Quocunque iero, ibi te inveniam; & si irasceris, ultorem te invenio. Nihil ergo mihi restat, nisi ad te fugere, non a te. Ut evadas hominem Dominum, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Dominum.* Cogitatio pulchra est, & apta ciendo affectui, & intellectus ea recreatur, & voluntas commovetur.

Quod Sallustius, & Florus de Catilina, ejusque conjuratis scribunt, in eorum vultibus vel a morte adhuc metuendam torvam quandam audaciam spiralle, vim illam non æquat, qua S. Bernardus de S. Malachia loquitur: In tumba positum, si eum spectasses, credere potuisses intueri te hominem mortuum, qui vivus erat, vel potius vivere eum crederes, qui mortuus erat. Vultus illius

(a) In Psal. 30.

lius nihil vivacitatis, priſtinæque ſerenitatis amiſerat, adeo mors nihil de colore, lineamentisque detraxit, ut adjunxiſſe magis novam venuſtatem videretur. Nulla in re a ſe abiiſſe videbatur, ſed omnes, qui eum intuiti ſunt, mutavit; aſpectus enim ejus omnium cordibus, animisque ſanctos affectus ingeneravit. (a) *Mortuus vivere, & vivens mortuus putabatur: eadem vivacitas vultus, ſerenitas eadem: diceres mortem nihil horum tuliſſe, magis auxiſſe plurimum. Non eſt mutatus, ſed ipſe mutavit omnes.*

Quæ veſtra vanitas eſt, dicit S. Ambroſius, quod veſtra nobilitate tantopere gloriemini? canum veſtrorum originem non minus ſtudioſe, quam nobilium ſubducere in more habetis; equorum veſtrorum origine perinde gloriamini, ut ſi natales nobilium notaretis: ſed equo ſtadium decurrenti haud quaquam prodeſt, claris & ſæpius victoribus majoribus ortum fuiſſe: non his meritis, non nobilitati, ſed pedum celeritati præmium decernitur. Cavete, ne majorum veſtrorum virtutes in vobis obſoleſcant, cavete, ne probro illis ſit, vos

(a) De vita S. Malachiæ Epiſc.

vos illorum insignitos esse omine. Merita hæredis non auratis laquearibus, lauro implexis, non porphyreticis vasis definiuntur: non his clariores redduntur homines: hoc splendore id duntaxat præstatur, ut metalla spectantium oculis objiciantur clarius, novumque pretium ferant, illa, inquam, metalla, ad quæ eruenda facinorosi, augendæ pœnæ causa damnati sunt. (a) *Quid te jactas de nobilitatis prosapia? soletis & canum vestrorum origines sicut divitum recensere. Non datur nobilitati palma, sed cursui. Cave, ne in te erubescant tuorum merita Majorum: non laureatis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis est meritum. Laus ista non hominum, sed metallorum est, in quibus homines puniuntur.*

Elogium, quod idem Sanctus S. Agneti scripsit, multis ingenii luminibus coruscat. Postquam dixisset, pietate illam sua ætatem, virtute naturam superasse, ait, nomen illius oraculi vicem habuisse, quod martyrio eam nobilitandam præsagiebat: quibus adjungit: si illam compello Martyrem, nihil superest, quod ad laudem adjici possit: ingenia

(a) De vita S. Malachiæ Episc.

nia quantacunque demum conquiescant: eloquentia conticescat: verbum unum laudem omnem S. Agnetis absolvit. Quotquot homines Martyrem eam dicunt, laudatores se Divæ præbent. (a) *Fuit devotio supra ætatem, virtus supra naturam; ut mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum Martyris. Apellabo Martyrem, prædicavi satis. Facessant ingenia, eloquentia conticescat; vox una præconium est. Quot homines, tot præcones, qui Martyrem prædicant, dum loquuntur.* Laudem subinde prosequitur: Quanta non crudelitatis fuit rabies, dum ne a tenera quidem ætate sanguinarias manus abstinet: vel potius quanta non fortitudine suos fides corroborat, dum ipsos infantes testes propugnatoresque suos constituit? Modicumne adeo corpus tot vulnera recipere potuit? illud, cui vix erat, quo carnificis gladium admitteret, habuit, unde triumphum referret. *Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? & quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit, quo ferrum vinceret.* Ejus ætatis Virgines ne iratæ quidem Matris asperius paulo supercilium ferre possunt. Aciculæ punctura lachrymas illis ceu letha-

(a) Lib. 1. de Virginit.

lethali perstrictis vulnere prolicit. Hæc intrepida inter crudelissimos tortores persistit, adeo non depressa ferri, & catenarum pondere, ut totum corpus barbari militis gladio offerret. Nondum gnara, quid morti triste inesset, accincta tamen jam erat ad eam subeundam: si invita ad Deorum templa raptaretur, parata erat, ut JESUM Christum palam profiteretur, eique manus inter ignes ipsos tenderet, in quibus thus Diis adolebatur. *Mori adhuc nescia; sed parata, vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus.*

Quam insolens martyrii genus! nondum par subeundis tormentis, par jam erat eis vincendis. Nondum viribus ad pugnam instructa, facile victoriam reportavit: teneram vix ætatem excesserat, & ætatis imbecillitate superata, corroboratæ virtutis Magistram se comprobavit. *Novum martyrii genus! nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ. Certare difficilis, facilis coronari, magisterium virtutis implevit, judicium vehebat ætatis.* Nemo eam videns a lachrymis abstinuit. Stupuerunt plerique, quid esset, quod vitam prodige adeo projiceret, quam vix delibarat,

quod

quod eam velut ſatura daret. Mirati ſunt omnes, Virginem vix annum egreſſam duodecimum, quæ ſui nondum juris per ætatem erat, ſuo jam teſtimonio fidem conſignaſſe. Denique eam ſe præſtitit, ut quamvis hominum nemo teſtem eam admitteret, digna eſſet, quam cœlum inter ſuas propugnatores recenſeret. *Flere omnes, ipſa ſine fletu: mirari plerique, quod tam facile vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi perfuncta donaret: ſtupere univerſi, quod jam divinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet.* Quibus minis non inſtitit carnifex, ut ſui metum ingeneraret, quas blanditias non exprompſit, ut flecteret? *Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur? quantis blanditiis, ut ſuaderet?* Quam multi non procerum in eam conjecerunt oculos? Sed illa ſponſo meo, ajebat, injuriam inferrem, ſi aliis præterquam illius oculis probari cuperem. Qui primus me delegit, totam tenebit. Quid moraris carnifex ictum librare? pereat corpus, quod aliis, quam quibus cupio oculis, placere poteſt. *Quid percuſſor moraris? pereat corpus, quod amari poteſt oculis? quibus nolo.* Vix quidam tenera magis eloquentia elucubratum in-

 venias:

venias: sed non minus commendandum est, quod Sanctus addit: Vidisses trementem carnificem, ceu ipse supplicio addictus fuisset: vidisses pallentem, & tristi conditioni Virginis indolentem, dum illa interim nulla timoris signa præferret. Una igitur in victima, duplex martyrium spectate, martyrium pudoris, & religionis. Servato virginitatis flori palmam martyrii adjecit. *Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus esset. Pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis in una hostia duplex martyrium, pudoris, & religionis, & Virgo permansit, & martyrium obtinuit.*

S. Chrysologus, si ita fas est dicere, exultat ob martyrium innocentum, & pictores aliquo modo imitatur, qui ab objectis tristibus, & horrificis novum picturæ suæ decus accersunt. Cohors juvenum militum, eandem prope quam Princeps ipsorum, ætatem emensa præmori quam commori eidem elegit. Prius pene pugnam, quam vitam fideles hi JESU milites auspicati sunt, partem prius belli periculorum capessere, quam crepundiis delectari, prius sanguinem sub carnificum gladio,

quam

quam nutricum lac ſugere cœperunt. (a) *Coorta Regi cohors ſuo magis præmori, quam commori tota geſtit. Chriſto dicati milites cœperunt ante militare, quam vivere, ante pugnare, quam ludere, fundere ante ſanguinem, quam lactis ubera perpotare.* Ardor, quo Regis ſui gloriam propugnare exoptant, non id illis moræ indulget, ut maturam ætatem expectent. E matrum ſinu evolant ad mortem, pene prius in cœlo, quam in terra ſtabile domicilium fixuri. Felices hos parvulos jure gratiæ Martyres compelles: Chriſtum confitentur, quin linguam in vocem norint reſolvere, pugnant, triumphant, moriuntur pro illo, quem non agnoſcunt. *Vere vere iſti ſunt gratiæ Martyres; confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcii, moriuntur inconſcii.* Sed quid de ipſo Rege dicemus, ſolus effugit, qui unus maxime in hoſtem depugnare debuerat: fuga hæc non ad effœminatum metum, ſed ad tenerum amorem referenda eſt. Nam ſi moratus fuiſſet in Judæa Chriſtus, numerati fuiſſent hi inter ſynagogæ aſſeclas nunquam ab Eccleſia Martyribus accenſendi.

(a) Serm. 152.

S. Paulinus extollit merita Melaniæ Matronæ Romanæ nobilis primis nascentis fidei temporibus adeo celebratæ, dum dicit: quam hanc fœminam dicam? si hoc tamen nomine compellanda est, quæ mascula adeo & Heroa virtute inclaruit, quæ Consules inter Majores suos recensens, contemptu nobilitatis magis inclaruit. (a) *At quam tandem fœminam! si fœminam dici licet tam viriliter Chrstianam; quæ Consulibus avis nobilis nobiliorem se contemptu nobilitatis dedit.*

Martyrii excellentiam pauculis verbis S. Cyprianus describit: virtus martyrii tanta est, ut ad credendas fidei veritates vel eos adducat, qui mortis in vos sententiam, quam magno animo excepistis, tulerunt. (b) *Virtus est tanta martyrii, ut per illam credere etiam cogatur, qui te voluit occidere.*

S. Fulgentius pulchre depingit mortem Præcursoris Domini: apparata est pompa, structum est theatrum, in qua impudica Prophetam perimat, non ictum ipsa infigens, sed saltans. (c) *Paratum est*

(a) Epist. 10. (b) De laude Martyrii. (c) Super Evangel. S. Matth. Audivit Herod.

est convivale theatrum, producitur lasciva carnifex fœmina, quæ Prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Passibus ad saltus leges exactis incedit Herodiadis filia, Herodi ut probetur, mortemque Joannis Baptistæ impetret. *Sic saltat, ut placeat, sic placet, ut occidat.* Recisi capitis sanguis fumabat in disco: hoc nempe unum erat ferculum, quod condecorandis regiis epulis adjungi posset. *Recens exsecti capitis sanguis fluebat in disco, hoc solum scilicet defuit regalibus mensis.* Capita piscium, animaliumque omnis generis allata sine dubio jam ad mensam fuerint: sed non faciunt hæc ad magnificentiam, geniumque Regis barbari. Missus hi in privati etiam hominis mensa videri poterant, splendidum convivium celebrari non poterat, si caput hominis in epulis a Rege structis desideratum fuisset. Quod caput Prophetæ rorans etiam dum sanguine ipso e carcere allatum fuerit, hoc enim vero est, quod ferculorum pretium attollit. Regibus terræ, & maria affundere ea solent, quæ eorum epulas magnificas, splendidasque reddant: Herodi ipsi etiam carceres delicias sufficiunt: *Herodi cœpit & carcer delicias ministrare.*

S. Hieronymus illato ſermone de vili ſtabulo, in quo Chriſtus in lucem edi voluit, luxum divitum perſtringit. Ubi ſunt vaſtæ porticus, auro ſplendentia laquearia, domus ſuperbæ auro, aut lapide cœleſtis coloris æmulo, vel magis labore miſerorum ad metalla damnatorum veſtitæ? ubi ſunt palatia, non dico Regum, aut Principum, ſed privatorum hominum, qui ſplendidas adeo ædes ſtruxerunt, ut corpus hoc e luto fictum incolat cubicula magnifica, & ſplendide exornata, ut e contemplatione ſuarum ædium plus gaudii, quam e conſideratione cœli ipſius trahant, ceu vero res quæpiam mundo hoc pulchrior fingi poſſet? (a) *Ubi ſunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miſerorum pœnis, & damnatorum labore veſtitæ? ubi inſtar palatii privatorum extructæ baſilicæ, ut vile corpuſculum hominis pretioſis inambulet, & quaſi mundo quidquam eſſet ornatius, tecta ſua magis velint aſpicere, quam cœlum?*

Quod Salvianus dicit de obligatione, qua quisque Servatori mundi obſtringitur, elegans ſane eſt. Quæ omnium etiam ſingulorum cauſa Servator

(a) Epiſt. 78.

tor mundi pertulit? Totum ſe omnibus, & totum ſingulis impertivit: & hanc ob cauſam, quemadmodum omnes DEO debent illud, quod illorum cauſa patiens pertulit, ita non minus ſinguli pluribus DEO nominibus, quam omnes devincti tenentur: propterea quod cuivis tantum, quantum omnibus aliis eſt impenſum. (a) *Sicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis: totum ſe dedit univerſis, & totum ſingulis, ac per hoc, quidquid paſſione ſua Salvator præſtitit, ſicut totum ei debent univerſi, ſic totum ſinguli: niſi quod prope hoc plus ſinguli, quam univerſi, quod tantum acceperunt ſinguli, quantum univerſi.*

Martyrium Machabæorum uberem materiem comprobandæ eloquentiæ S. Ambroſio præbet; neſcio ſane elocutionis num magis modum, num ipſam magis materiem mirari oporteat.

Sancti hi Martyres transverberati gladiis alter alteri incubuerunt, in eodem loco, in quo ſumptum eſt de iis ſupplicium, accumulata ſunt eorum corpora. Viſo funeſto hoc ſpectaculo mater illorum non lachrymulam fudit,

(a) Lib. 2. ad Eccl.

non suspirium misit, non oculos, non ora morientium filiorum clausit, non eluit eorum vulnera, existimans, majori illis cessurum gloriæ, si decoro sanguine, & pulvere sordidi viderentur, ut victores e pugna solent redire: non alium credidit illorum funeri impendendum honorem, nisi ut iis commoreretur. (a) *Non lavit vulnera, sciens gloriosiores esse, si concreti pariter pulvere, & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, non superjicienda velamina, non prosequendas exequias, nisi suæ quoque comitatu mortis arbitrata est.* Quid de vobis dicam sancti Filii Matris sanctæ? vicistis furorem, & potentiam tyranni, cujus arma universum orbem subjugarunt, cujus jugum India ipsa ad extremum mare seposita subiit. Vos soli nullis armis instructi, vix commissa pugna de superbo adeo Rege triumphum retulistis. *Soli de Rege superbo sine bellico conflictu victoriam jam reportastis.*

De eo Imperio, quod Antiochus edidit, ut uni de septem Fratribus lingua præcideretur, S. Ambrosius, priusquam illud jussum perficeretur, ita loquen-

(a) De Jacob. & Vita beata lib. 10. cap. 11.

quentem Martyrem inducit: Victum te confiteris, Antioche, dum adimere paras vocis instrumentum: ultro fateris, imparem te dissolvendis nostris argumentis: metum nempe majorem tibi ingenerant reprehensiones nostræ, quam tormenta, quibus nos cruciare potes. *Victus es, Antioche, qui organum vocis abscindi jubes: confessus es, respondere non posse rationi, majoraque probas linguæ nostræ flagella, quam tua verbera*, satis jam tibi consultum autumas, si vocis nos usu privas. Sed DEUS vel tacentes audit. *Evadere te putas, si vocem eripias: & tacentes DEUS audit.* Quin citius tacentes, quam loquentes audit DEUS. Linguam evellere potes, non animum: non prohibebis, quo minus veritatem meo quoque consignem testimonio, non impedies, quo minus cordis mei sensa intelligantur: si linguam præcidi jubeas, sanguis vocis locum obibit: *si lingua amputetur, sanguis clamabit.* Et hæ voces aures tuas ferirent: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Cui rei verba deserviunt? acrius multo caussam dicunt vulnera: non applaude, ceu vero adempto vocis organo alter non suppeteret laudandi Numinis modus: voce ad hoc tempus

laudes, qua licuit, numini persolvimus, reliquum est, ut martyrio celebremus. *Satis jam sermone laudavimus, nunc passione laudemus.*

Insignis est cogitatio S. Gregorii Nazianzeni de fortitudine Martyrum. (a) Pugnarunt cum tyrannis, & bestiis ferocibus, commissi sunt cum ferro, & igne, insultarunt suppliciis magnanimitate, & lætitia admiranda prorsus, ceu alienis non suis corporibus irrogata hæc tulissent, aut magis ceu corpus jam penitus posuissent.

Effigies, qua idem Pater pauculis verbis Julianum Apostatam exprimit, horrifica est, tyrannum tamen optime refert. (b) Infelix hic Princeps vitia facinorosissimorum Principum unus collegit, quorum scriptura meminit, defectionem Jeroboami, crudelitatem Achabi, impietatem Nabuchodonosoris, pervicaciam Pharaonis. Adjungit denique publicam fuisse Julianum sui temporis calamitatem, neque priora sæcula, quamvis inundationibus, incendiis, terræ motibus, hominum, ferarumque monstris infamia, tale monstrum

(a) Orat. 3. (b) Orat. 4.

ſtrum tuliſſe. Omnia hæc validam, & fulminantem eloquentiam ſpirant.

Ratio, quam S. Bernardus reddit, cur peccatum, quod quandoque non niſi unius momenti eſt, æterna tamen pœna caſtigetur, non minus acuta, quam ſolida eſt. Crimen, quod in vita voluntas pervicax perpetrat, ſuppliciis nunquam terminandis haud dubie plectitur, eam ob cauſam, quia cito tranſit quidem, ſi tempus ſpectes, aut ipſum facinus, in longum tamen extenditur, quantum ad voluntatem attinet malo, flagitiisque adeo inutritam, ut nunquam finem impoſiturus eſſet ſceleribus peccator, niſi ex vita hac aliquando abeundum eſſet: quin potius nunquam non vivere cuperet, ut aſſiduo ſceleribus ſe mergere poſſet. (a) *Ob hoc procul dubio inflexibilis & obſtinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter patratum, quia, quod brevi fuit tempore, vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate: ita ut, ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret, imo ſemper vivere vellet, ut ſemper peccare poſſet.* Adjungit Sanctus, illud merito de peccatore dici poſſe: modi-

(a) Epiſt. 253.

modico temporis ſpatio expletam ab illo menſuram infiniti temporis fuiſſe, propterea quod nullo unquam tempore a ſententia ſua dimoveri ſe ſuſtinens, nullo non tempore pœnas ſui criminis dependere meruit.

Lachrymæ amariſſimæ, & eæ ipſæ, quas dolor expreſſit, ſuam habent dulcedinem: teſte S. Ambroſio, neſcio, qua voluptate redundant lachrymæ, & non raro graviſſimo mœrore proſtratis magnum id affert ſolatium, quod dolorem ſuum ſentiant. (a) *Eſt quædam etiam flendi voluptas: cum doluiſſe plerumque ſolatium ſit dolentis.*

Sublime Longini ſcribendi genus non æquat ſacrum ardorem Divi Chryſoſtomi, loquentis de vinculis Apoſtoli gentium. (c) Si vel cœli, vel vinculorum S. Pauli optionem mihi facere liceret, hæc cœlo præferre haud tergiverſarer. Si quis Angelos inter me vellet reponere, aut in ipſum cœlum attollere, vel in obſcurum carcerem cum Divo Paulo detrudere, cum captivo Paulo captivitatem, & vincula deligerem.

Nulla

(a) De obitu Valentiniani. (b) Hom. 8. in Epiſt. ad Epheſios.

Nulla enim ſors felicior eſt, quam eorum, quibus multa Chriſti cauſa perferre contigit. Divum Paulum oneratum vinculis feliciorem credo, quam dum eum in tertium uſque cœlum raptum video. Ardentius multo propter JESUM perſecutionibus atteri, quam honoribus cumulari cupio: adverſitatum enim ea eſt gloria, ut ſuperet vincatque honorem omnem, qui alioquin cuiquam obvenire poteſt.

Sanctus Hieronymus, ut oſtendat, quam ubivis vitioſus ſui amor ſe ingerat, & quod abdicato luxu ſuperbia tamen nondum ponatur, eleganter dicit: ſuperbia tumemus, centonibus gloriamur, in paupertate magnifice nos circumſpicimus, mundo nos oſtentamus, ut ejus æſtimationem nobis pariamus. (a) *Glorioſis tumemus ſordibus, & vendibilem paupertatem populari auræ offerimus.*

Ingenioſa plane eſt cogitatio Tertulliani oſtendentis, quantam ad gloriam caro attollatur nativa ſua conditione vilis, & abjecta: Illa caro, quæ ferro in obſcuro carcere onerata eſt, diducta equu-

(a) Epiſt, 30.

equuleo, & rotis, conatur vicem Christo reddere, ejus causam mortem appetens, sæpe crucis ipsius supplicium subiens, sæpe alia mortis genera non minus atrocia, quæ crudelitas barbara irrogare potuit: quæ felicitas, quæ gloria carnem grandi adeo debito, quo Domino nostro obstringitur, exire posse, ut id solum illi debeat, quod debitum omne expunxerit, quin hoc ipso illi devincta sit tanto arctius, quanto libera magis omni nexu videtur. (a) *Enisa reddere Christo vicem moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpe, necdum per atrociora quoque ingenia pœnarum: næ illa beatissima, & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum carere tanto debito; ut hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit, hoc magis vincta, quo absoluta.*

Locum merito vindicant, quæ Patres de animæ pretio dicunt: Tertullianus appellat animam umbram intelligentiæ divinæ, anhelitum Spiritus DEI. (b) *Animæ suæ umbram, Spiritus sui auram.* Mundi Servator, teste S. Augustino, in cruce redemptionis nostræ pretium dependen-

(a) De resurr. carnis. (b) Lib. de resurr. carnis.

pendit, large adeo effuso sanguine, ut ne guttam quidem ejus reliquam servaret. Anima Christiana, digna de te senti: agnosce, quanti pretii sis. (a) *Jam pretium solvit, sanguinem fudit. O anima erige te, tanti vales.* Si credimus Salviano, vel ipse dæmon animæ nostræ agnoscit pretium, vel ab hoc uno addiscere possumus, quo in loco animæ sint habendæ. Quis vester est furor pio ardori indulgens, ait, quod nullo in pretio vestras ducatis animas, eas ipsas, quibus dæmon tantum defert: quod illas vilipendatis, quas ille, quo non acriorem alium hostem habetis, hoc apertius testatur, summi a vobis æstimandas, quo majorem illarum neglectum vobis ingenerare conatur: profecto dum in hunc modum curam omnem animæ ponitis, infra ipsius dæmonis judicium eam abjicitis. (b) *Qui furor est, viles a vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? quis furor est, viles a vobis haberi, quas etiam ille charas vobis esse debere dicit, qui viles facere conatur? at per hoc quicunque animas suas negligunt, & jam infra judicium diaboli se amant.*

Elo-

(a) In Psal. 102. (b) Lib. 3. ad Eccles.

Elogium, quod S. Cyprianus pudicitiæ tribuit, dignum eſt tanto Doctore: eam honorem appellat corporis, ornamentum morum, ſanctimoniam ſexus, pacem familiarum, fontem unionis, & concordiæ. Dicit ſubinde: anxia non eſt, ut alteri præterquam ſibi placeat, non alia ornamenta, niſi quæ ab ingenuo pudore proficiſcuntur, novit, certa de pulchritudine ſibi videtur, ſi impiis minus probetur: denique nulla aliunde ſibi accerſit decora, domeſticis ſuis ornamentis gloriæque acquieſcit. (a) *Sollicita non eſt, cui placeat, niſi ſibi? ornatur ſolo pudore, bene ſibi tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſpliceat. Nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt.*

Verba Minutii Felicis de ſole, ſingularem ejus utilitatem, quam mundo parit, venuſte exprimunt: cœlo affixus, ſed eodem tempore omnibus terræ partibus, locisque diffuſus eſt. (b) *Cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt.* Bartoli, qui vitam D. Ignatii Fundatoris Societatis JESU italica lingua deſcripſit, hæc verba ad Divum refert,

ea

(a) De Diſciplin. & Bono pudic. (b) De Conſid. lib. 2. cap. 6.

ea in icone, quam libro præfixit, ubi Divus exprimitur e cœlo mundum hunc illuſtrans. S. Bernardo teſtante, demiſſio animi, ſi in viris illuſtribus reperitur, neſcio quid magni in ſe continet: magis elucet, cum ii, qui ſpectata gerunt munia, hac virtute ornantur. (a) *Neſcio, quo pacto vis ejus major in majoribus, & in clarioribus clarior comprobatur.* Adjungit, hanc inter ornamenta ſummi Pontificis eam gemmam eſſe, quæ aliarum facile ſplendorem ſuperat, & ſupremum ſacrorum Antiſtitem, quem ſupra reliquos homines ſua dignitas extulit, demiſſione ſupra ſe ipſum aliqua ratione evehi. *Nulla ſplendidior gemma in omni ornatu ſummi Pontificis: quo enim celſior cæteris, eo & humilitate apparet illuſtrior, & ſe ipſo.* Eodem loco in eas Servatoris voces: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Ad ſuum olim diſcipulum ita ſcribit: prohibiti ſunt Apoſtoli profanum dominatum uſurpare. Aude ergo Apoſtolatum vendicare, qui cum faſtu dominium exerces, vel poteſtatem exſerere, qui Apoſtolis ſubrogatus es. *Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo*

 tu,

(a) De Conſid. lib. 2. cap. 6.

tu, & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum.

Famam pudicitiæ integram præstare, res nimium quam ardua est in fœmina; si S. Hieronymo credimus. Fama pudicitiæ floris instar est, qui vel modica aura corrumpitur: præsertim si fœmina juventutem nondum egressa est, quæ alioquin ad vitia invitat, si nondum matrimonii vinculis juncta est, cujus vel sola umbra fœminam tuetur. (a) *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, quasi flos pulcherrimus ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maxime, ubi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest authoritas, cujus umbra tutamen uxoris est.*

Ingenium haud scio, an alteri illustrius, quam S. Augustino obtigerit; vix tamen alius corde magis tenero fuit, quodque omnes amicitiæ leges curatius expleret, id ipsum verba illius satis superque testantur: & mirifice certe animum afficit venustum Sancti ingenium, quo ille ad exprimendam cordis sui teneritudinem non uno in loco utitur. Postquam confessionum libros inde inchoavit, quod juvenis omne gaudium

dium

(a) Epist. 9.

dium in eo repofitum habuiffet, fi aut amaret, aut amaretur, (a) *Et quid erat, quod me delectabat, nisi amare, & amari.* Miferabilem fubinde eam conditionem depingit, in quam eum mors chariffimi amici conjecit. Quidquid afpiciebam, ait, mortem fpirabat, quin ipfa mihi mors videbatur. (b) *Quidquid aspiciebam, mors erat.* Patriam exilii, & fupplicii inftar habui: paternam domum infelicem habitationem reputavi: dulciffima confuetudo, qua cum amico meo fruebar, nunc eo fubmoto non nifi cruciatum meum auxit: oculi mei omni parte eum requirebant, quin illum tamen ufpiam reperirem, invifa mihi omnia erant, propterea quod nemo amiffum redderet, nemo me certiorem faceret, abfentem haud multo poft rediturum. In nulla alia re præterquam in lachrymis dulcedinis quidquam reperi, lachrymæ pene folæ locum mei amici tenebant, qui unus gaudium meum prius expleverat. *Solus fletus erat dulcis mihi, & successerat amico meo in deliciis animi mei.* Omnia hæc tenera funt, & naturalia, fed quæ confequuntur, nimium quam magno artificio ex-

(a) Confeff. lib. 1. cap. 2. (b) Conf. lib. 4. cap. 4.

pressa sunt, ut memini alias: certe si S. Augustinus in primo doloris impetu cogitationes suas expressisset, non sane teneris adeo animadversionibus usus fuisset, quas subinde adhibuit, postquam dolor remisit: primo eoque acerrimo dolore obrutus non utique dicturus fuerat: in funesta adeo rerum conditione versabar, ut magis hanc vitam quamvis miserrimam deligerem, quam amicum, qui in hanc ipsam me miseriam conjecit; nam quamvis cupiissem jacturam funestæ hujus vitæ facere, noluissem tamen eam potius, quam illum perdere, cujus amissioni tantopere indolebam. (a) *Ita miser eram, & habebam chariorem illo amico meo vitam ipsam miseram: nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis, quam ipsum.* Nescio tamen, an non illius loco mortem subire optaverim, ut narratur de Pylade, & Oreste, si non fabulis fors accensendum est, eorum quemque morti se obtulisse, ut alterum subduceret, vel commori certe alteri optasse alterum, quia morte durius credebant, si alter alteri superstes vivere cogeretur: sed quibus nescio contrariis agitabar fluctibus: tædium me vitæ invase-

(a) Confess. lib. 4. cap. 6.

vaſerat, & a morte non impar me metus revocarat. *Tædium vivendi erat in me graviſſimum, & moriendi metus.* Quanto majore amore amicum proſequebar, tanto magis infeſto me fuiſſe, credo, in mortem odio, quæ amicum mihi eripuit. Credebam, morte illa flecti neſcia omnes mihi homines ereptos, poſtquam ne illum quidem reliquum mihi fecit. Mirabar, dum viventes alios cernebam, poſtquam illum, cui immortalitatem cupiebam, morte præreptum vidi: magis mirabar, quod ei ſuperſtes vivere ſuſtinerem, qui me ipſum referebat. Non male ſenſit Poetarum quispiam, qui amicum ſui dimidium dixit. Uſu ipſe didici, meam, & illius animam non niſi unam in duobus corporibus ſpirare, & id erat, cur vita horrori mihi eſſet, quod dimidius duntaxat nollem vivere, & forte mori metuebam, eam præcipue ob cauſam, ne totus emoreretur, quem tenere adeo dilexi. *Ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere: & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Non alibi plus ingenii, quam in his reflexionibus relucet, & dolendum unice, modum pene expreſſiones has excedere. Natura ſibi reli-

cta non tantum cultus præfert, & verus dolor alia multo aperta magis lingua utitur, ut S. Augustinus Lib. 2. Retractationum Cap. 6. fatetur.

Deinde postquam Sanctus, si ita fas est dicere, tristi adeo materia delectatus est, redit ad naturam, & dolori, quem justa afflictio imperaverat, indulget, dicens: Quæ stultitia! nescire homines humano modo diligere, quam non merito sensu omni destitutus ille dicendus est, qui nescit modum suo dolori constituere, dum res caducas amisit. *O dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem immoderate humana patientem!* Continuis turbis agebar, suspirans, flens, inquietus, inops consilii, nullaque in re solatii, aut quietis partem ullam licebat capere. Silvarum amœnitas, lusus, musica, exquisiti odores, festi dies, Poesis, somnus meum dolorem minime mitigare poterant. Nihil non novum mihi horrorem ingenerabat, ipsa lux tristis erat, verbo, quidquid amicus hic meus non erat, meum cruciatum augebat, præter solas lachrymas, quibus solis animus meus laxari videbatur.

tur. (a) *Horrebant omnia, & ipsa lux, & quidquid non erat, quod ille erat, improbum, & odiosum erat, præter gemitum, & lachrymas; nam in eis solis aliquantula requies.*

Mors S. Joannis Baptistæ late patentem campum aperit S. Ambrosio suo ingenio indulgendi: haud certe scriptores antiqui materiem hanc perinde ingeniose, ac ille pertractassent. Postquam dixit, Herodem caput Joanni Baptistæ amputari jussisse, ne juramento, quo se obstrinxerat, deesset, subdit: Quæ nova hæc, insolensque religionis species, nescio quid majorem mihi horrorem incutiat, num juramentum, num fides, qua illud exsolvit? minus atrox flagitium perjurio admisisset, facinorosorum Principum perjuria minus impia, quam eorum sanctissima juramenta duco. (b) *O religionem novam! tolerabilius pejerasset, quid prius horrescam, nescio, tolerabiliora perjuria, quam sacramenta sunt tyrannorum.* In hunc deinde modum sermonem prosequitur: Quis, ubi e convivio ad carcerem concitato gressu decurri vidisset, non autumasset, Prophetam in libertatem asse-

(a) Conf. lib. 4. cap. 7. (b) Lib. 3. de Virgin.

rendum. *Quis non, cum e convivio ad carcerem cursari videret, putaret, jussum esse Prophetam dimitti.* Sed contra evenit, his commemoratis Sanctus exclamat: quid crudelitati cum deliciis commune intercedit? morti cum convivio? debebatur hic missus cordi barbaro, quod tot fercula explere non poterant. *Quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati? hoc crudelitati ferculum debebatur.* Sermonem subinde ad ipsum Herodem vertit: Intuere, crudelis Princeps, spectacula tuis ab epulis non abludentia. *Intuere, Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio:* & postquam vina mensæ imposita sitim, qua ardebas, restinguere non potuerunt, bibe sanguinem, qui fluit, & spumat ex truncato capite. Vide oculos, qui in ipsa morte tuum scelus testantur, qui infandas tuas delicias ferre non sustinent, horrore magis, quo scelus tuum aversantur, quam fatali naturæ necessitate clauduntur. Sacrum illud os, cujus justas correptiones non sustinebas, tacet, & vel mutum novos tibi terrores ingenerat. *Cerne oculos, in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ.*

Os

Os aureum illud exangue, cujus ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur. S. Ambroſius addit: Interim lingua, quæ a morte adhuc de more aliquas vitæ reliquias retinet, inceſtum, qua neſcio, palpitatione condemnavit. *Lingua tamen, quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſervare viventis, palpitante licet motu damnabat inceſtum.* Herodias Joannis Baptiſtæ capite relato triumphum ſe agere credit, exultat, ceu crimine omni abſoluta eſſet, poſtquam judicem e vita deturbavit. *Lætatur, exultat, quaſi crimen evaſerit, quia judicem trucidavit.* Omnes hæ cogitationes grande quid ſpirant.

Animadverſio S. Auguſtini in ea improborum verba: *comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*, plena eſt vigoris: Quid dicitis? repetite veſtra dicta: comedamus, dicitis, & bibamus: ſed quid ſubjungitis? cras enim e vita hac abibimus. In terrorem me dediſtis, ſed non ſeduxiſtis. (a) *Quid ais? repete. Manducemus, inquis, & bibamus. Age, quid poſtea dixiſti? cras enim moriemur. Terruiſti, non ſeduxiſti.* Per ſupremas has voces adeo non veſtræ

(a) In Pſal. 70.

me ſententiæ jungitis, ut a vobis me alienetis, ut terrore me compleatis etiam. Morituros vos craſtina die dixiſtis, prius autem ſplendidis conviviis indulturos. Profecto id a ratione omni alienum eſt. Videte, quid vobis ſecundum æquitatis regulas agendum eſſet. Jejuniis, & precibus vacemus, cras enim moriemur.

Salvianus zelo ſimul, ſimul ingenio ſuo indulget, dum quam parum fides, & religio in mundo æſtimetur, reputat: O infelicitas! o male conſtituta rerum conditio! homo aſſeveranti homini fidem haber, quam DEO abnegat: promiſſa ab homine facta explenda non dubitatur, at ambigitur, num ſuis ſtaturus ſit DEUS. Negotia humana omnia futurorum ſe ſpe ſuſtentant, ipſa hæc vita temporalis ſola ſpe futurorum erecta ſubſiſtit. Solus DEUS eſt, in quo nihil ſpei reponitur. (a) *O miſeria! o perverſitas! homini ab homine creditur, & non creditur DEO: humanis promiſſionibus ſpes commodatur, DEO negatur. Omnia denique in rebus humanis ſpes futurorum agunt, ſolus DEUS eſt, de quo deſperatur.*

S. Am-

(a) Lib. 2. ad Eccleſ.

S. Ambrosius commemorans, Achabum voluisse Nabothi vineæ manum injicere, exclamat: divites, quo vos usque indomitæ vestræ affectiones abripiunt? quo usque fines vestros profertis? soline terram incolere cupitis? quid causæ est, quod eos, quos natura vobis socios addidit, evertere, & vobis unice possessionem illam vindicare velitis, quam natura tamen communem constituit? (a) *Nunquid soli inhabitatis super terram? cur ejicitis consortem naturæ, & vindicatis vobis possessionem naturæ?* Terra non minus pauperum, quam divitum est, cur eam ergo ut patrimonium arrogatis? natura neminem divitem noscit, quæ omnes nos pauperes in lucem edidit: neque enim quisquam cum vestimentis pretiosis, aut auro & argento instructus vitæ hujus limen adit. *Nescit natura divites, quæ pauperes generat, neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro, argentoque generamur.* Illa, quæ nos protrusit cibo, & vestibus destitutos, haud multo post nudos quoque suo sinu accipiet. Nescit illa tumbis possessiones, hæreditatesque nostras claudere. Modicum terræ spatium diviti perinde ac pau-

(a) De Naboth Israel, cap. 1.

pauperi ſufficit. Quæ natura ſimiles produxit, ſine ullo diſcrimine e vita evocabit. Quis diverſam mortuorum conditionem diſcernat? aperite ſepulchra, inſpicite cadavera, ſpargite cineres, videte, num diſcrimen, quod inter pauperem, divitemque agnoſcetis forte divites e mauſolæorum magnificentia, e qua metiemini, plura forſan a divite poſſeſſa, vel potius plura ab hoc quam paupere amiſſa. *Quis diſcernat ſpecies mortuorum? redoperi terram, & ſi potes, divitem deprehende, niſi forte hoc ſolo, quod cum divite plura pereunt.* Sanctus ſubinde ad primam ſuam cogitationem rediens, eam vivacius exprimit, invectus in divites ambitioſos, qui amplis utut poſſeſſionibus alioquin inſtructi, eas tamen proferre ambiunt, neque ullis limitibus circumſcribi velint: Nullos accolas, vicinos nullos ſuſtinent, velut omnia ipſis ſupremum Numen addixiſſet. Aves ſe jungunt avibus, beſtiæ beſtiis, piſces piſcibus, & adeo illos ſocietas non offendit, ut numero magis gaudeant, quod ipſa nempe multitudine facilius defendendos ſe credant. Soli vos homines feris prope immitiores ſocietatem omnem averſamini: mare in terras veſtras inducitis, fines qua

licet

licet extenditis, ut vos modo nemo contingat. *Solus tu homo consortem excludis: inducis mare in prædia tua, producis fines terræ, ne possis habere finitimum.*

Omnes hæ Sancti cogitationes & solidæ sunt, & elegantes. Terminat eas magna spiritus, & eloquentiæ vehementia, quæ satis æstimari non potest: postquam enim ea Achabi ad Nabothum verba retulit: *Da mihi vineam tuam, ut eam in hortum vertam*, adjungit: Eo ergo insaniæ deventum, ut locus horto vilibus olusculis conserendo quæreretur? acrior vos cura habet, ut pauperes spolietis, quam ut vestras ipsi opes augeatis: homines injusti, & avari, creditis vos merito offensos, si quid pauperi suppetat, quod ad genium vestrum faciat? autumatis ea omnia vos amisisse, quæ alii tenent? *Hæc erat igitur omnis insania, ut spatium vilibus oleribus quæreretur? major vobis cura de pauperum spoliis, quam de vestris emolumentis est. Injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est.*

Magna

Magna felicitas est S. Cypriano teste illecebras, & blanditias voluptatis ignorare, sed magnæ virtuti tribuendum, si quis ea magnanimitate sit, ut cognitas jam repudiare possit. (a) *Blandas corporis leges non nosse felicitatis est, notas jam vicisse virtutis.* Eodem loco dicit, voluptatem vincere inter maxima gaudia reponendum, nec aliam victoriam magis gloriosam ea, quæ de affectionibus refertur; propterea quod ille, qui victoriam de inimico reportat, lucri quidem aliquid habet, sed quo tantummodo supra alterum attollitur, at qui indomitam suam affectionem cohibet, sui ipsius victor evadit. *Voluptatem vicisse voluptas est maxima, nec ulla major est victoria, quam ea, quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero: qui libidinem repressit, se ipso fortior fuit.* Denique pulchra sententia concludit. Mala quæcunque facilius, quam voluptas vincuntur: nam illa horridum quid, asperumque continent, hæc contra blanditur. *Malum omne facilius vincitur, quam voluptas, quia illud, quidquid est, horridum est, hoc blandum est.*

Defi-

(a) De Bono pudic.

Definitio, qua S. Hieronymus vitam hominis ſolitarii deſcribit, exacta eſt: Monachus, dicit, non id muneris gerit, ut alios inſtituat, doceatque, ſed ut vel ſua, vel mundi peccata lachrymis expiet. (a) *Monachus non Doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat.* Quod adjungit de fuga occaſionum, quæ ad graviora ſæpenumero mala perducunt, ſenſatum, & magno ſpiritu ſcriptum eſt: nulla in re ſibi indulget ſolitarius, adeoque acres in ſe vigilias intendit, ut vel ea metuat, quibus nulla formidinis cauſa ſubeſt. *In tantum caſtigator ſui eſt, ut etiam, quæ tuta ſunt, pertimeſcat.*

Reſponſum, quod homini, vitæ liberioris aſſeclæ eodem tempore S. Hieronymus reddit, non minus ſpiritu plenum eſt. Requiris, cur in deſertum conceſſerim: contuli me huc, ne te audire, ne videre cogar. *Videlicet, ut te non audiam, non videam.* Eremo me condidi, proſequitur, ea de cauſa, ne quæ objecta periculi plena affectum quem cordi meo ingenerarent, illudque emollirent. Sed oggeres mihi forſan, hanc non pugnam, ſed fugam dicendam:

in

(a) Adverſus Vigilantium.

in loco pugnæ consistendum dices, magnaque fortitudine profligandos esse hostes, ut reportata victoria coronam obtineam. *Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* Si fugæ me committo, mortem evito, si manum consero, vincere, aut perire me est necesse: cur non tutiora sequar? cur exponam periculo omnia, quando nihil dubio discrimini committi potest? profecto vos, qui pugnam non detrectatis, vincere, sed & vinci potestis. Ego non id ago, ut fuga mea inter victorias numeretur, hunc unum fugæ meæ constitui scopum, ne vinci possim. *Ego cum fugero, non vinco in eo, quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar.*

Vita, quam agimus, ut ingeniose meminit S. Maximus, tot malis referta est, ut si cum illa mors in comparationem adducatur, ea non pœna, sed remedium videatur. Ideo eam modico temporis spatio definivit DEUS, ut molestiæ, quibus nunquam caret, cum prosperitate non possent, at certe finirentur modico tempore, quo vita circumscribitur. (a) *Ideo brevem illam DEUS fecit,*

(a) Hom. 1. de non timendis hostibus carnalibus.

fecit ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur.

(a) Nihil rationi magis est congruum, quam quod S. Chrysologus de precibus dicit: Nec eo, quo par est, spiritu, nec iis cogitationibus, quæ adferendæ fuerant, instructi ad DEUM confugimus: dum oramus, minime ad desiderata collimare videmur: multo magis considerato languore nostro, indolentiaque, dici posset, votorum nos minime participes reddi velle, nihili a nobis ea fieri, quæ petere quadam ratione videmur: cum tamen, quod petitur, illud ardenter a se exigi velit DEUS: adeo nostra in petendo assiduitate non offenditur, ut pia importunitate delectetur: nam ille solus eo ex debitorum genere est, qui gratum ducunt, si urgeantur acriter, ille solus reddit, quod nunquam commodato accepit: quanto ille magis se urgeri videt, tanto liberaliorem se præbet. Si petimus remisso animo, dona sua differt, non quasi petita dare nollet, sed quia urgeri se vult, & illatam sibi violentiam ratam habet. Accedamus ergo

(a) Hom. 28. in cap. 6. Matth.

ad illum opportuno perinde, ac importuno tempore: ſed quid dico? non poteſt tempus quod fingi, quo non noſtras preces volens admittat: id ſolum ægre fert, ſi nos non continuo ad illum referamus: quovis demum tempore opportune ſatis ad illum confugimus, qui non niſi beneficia in nos conferre exoptat.

Conſilium, quod S. Bernardus homini caducis deliciis merſo ſuggerit, magni ponderis eſt. Si ſapis, non conſectare ea, quæ vel obtenta felicitatem tuam non abſolvent. Felix ille, qui ea nunquam appetiit, quorum poſſeſſio onerat, amor contaminat, jactura cruciat. (a) *Si ſapis, ſi habes cor, deſine jam eu ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt. Beatus, qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.* Nonne magis rationi congruum eſt, ut his, Numinis amore magis, quam a morte adactus, te exſpolies. Latet prædo in inſidiis, e quibus ut conſurget, nec te, nec bona tua in tutum ſubducere licebit.

Cogitatio S. Hieronymi de præconibus verbi Divini, quamvis vulgaris videa-

(a) Epiſt. 103.

videatur, pulchra tamen est admodum: Dum ad concionem dicis, non applausus, sed gemitus audiantur, lachrymæ Auditorum tuam laudem absolvant. (a) *Te docente in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lachrymæ Auditorum laudes tuæ sint.* Profecto hunc sibi scopum non constituunt juniores quidam verbi Divini Præcones, qui blandiri magis auribus, quam cor perstringere cupiunt, qui acquiescunt, si auditorem locis aliquot illustrioribus teneant, aut si finita dictione auditores læti, & tranquilli oratorem celebrent, dicantque: quanta illud ornatum erat eloquentia! quantum ex eo voluptatis hausi? nunquam accepi quidpiam, quod cum hoc conferri possit. Hujus generis Orator, famam duntaxat aucupans, ægre haud dubie ferret, si a soluta concione populus nullo prolato verbo abiret, aut non aliter, quam per suspiria animi sui sensa exponeret. Tales laudes non ille utique probaret, & haud scio, an vel veterani illis acquiescerent.

S. Chrysostomus eodem fere modo, quo S. Hieronymus animi sui sensa

(a) Epist. 2. (b) Serm. 56. de diversis novi Testamenti locis, in illud: si esurierit inimicus.

ut quosdam ego ſalutarem, qui dicebant, ſe a me ſalutatos jam fuiſſe, cum tu illis ſalutem dixiſſes? quam multi non tibi ſua negotia commendabant, credentes mecum ſe de iis agere? quantum non inde in me redundavit gaudium, cum eos ſic aberrare cernerem? quantum ex eo errore in me profectum eſt dulcedinis? *Quæ mihi hinc gaudia, quod eos in nobis errare cernerem? quam gratus error? quam ſuavis calumnia?* quam dulce, quod mihi adſcriberetur, quod non niſi tuum erat? non enim erat, quod vel de actionibus, vel colloquiis tuis vererer: placebat, quod ea mihi imputarentur, quæ non niſi tua erant. Homines, qui arcana mihi ſua pandebant, urgebant me, ut edicerem, num ego eſſem, cui illa committebant: quibus cum riſu, gaudioque geſtiens reſpondebam: cavete, ne frater meus ſit, cui illa crediſtis. Nam cum eodem ſpiritu animaremur, cum eodem pene vultu eſſemus, cum rerum omnium communio inter nos eſſet, ſola amicorum arcana nobis minime impertiebamus: non quod periculi quid foret, ſi vel ea conferemus, ſed quod crederemus, obſtrictos nos eſſe ad integram præſtandam arcani fidem. *Cum*

omnia nobis essent nostra communia, solum tamen commune non erat secretum amicorum: non quo conferendi periculum vereremur, sed tenendi servaveremus fidem.

Inter sæculi mores referri potest, quod S. Ambrosius de quibusdam fœminis scribit, velut spectaculum de se dant, dum amisso marito, quem minime amabant, & cujus morte in libertatem assertas se gaudent, gemitus fundunt, clamorem attolunt, veritæ velut, ne mundus ipsarum jacturam ignoret, affectant squallorem vestitu, ut fidem adstruant, ornatui se, luxuique omni renunciare, sparsis capillis, & prope nudæ in publicum se inferunt, nec ipsi satis verecundiæ consulentes, ceu vero afflictio hanc illis veniam daret, ut decori leges oblivisci possint: has Sanctus dicit, lugubri habitu sæpe cordis libertatem tegere, & ad velandas affectiones vividas, & probrosas speciem quandam tristitiæ, vultus lugubres, & vestes funestas sumere. (a) *Latet plerumque sub tristi amictu mentis lascivia, & deformis horror vestis obtexitur, ut*

(a) De fide resurr. lib. 2.

ut secreta petulantium tegantur animorum.

Sæculi hujus homines, qui tantis bonis abundant, & quibus felix usque adeo fortuna aspirare videtur, similes sunt navibus, quæ onustæ mercibus, armamentisque omnibus abunde instructæ, aspirante vento mare percurrunt, sed vel inter maris tranquillitatem nunquam non in periculo versantur, ne naufragium faciant, aut ne ventus, qui vela nunc feliciter implet, eas in scopulos allidat, aut profundo contumulet. Hæc cogitatio petita est ex Divo Chrysostomo loquente de divite epulone: (a) comparatio, quacunque demum parte spectetur, elegans est.

Quos non stimulos S. Hieronymus Heliodoro subdit, ut eam ad vitam solitariam perducat. Felix eremus, exclamat, in qua illi lapides gignuntur, e quibus cœlestis Jerusalem conditur! Sacra eremus, ubi anima DEO familiarius, quam uspiam alibi fruitur! (b) *O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus civitas magni Regis extruitur! O eremus familiarius DEO gaudens!*

(a) Con. 2. de Lazaro. (b) Epist. 1.

Quid in mundo commoraris, frater, qui animi tui magnanimitate mundum superas? quousque conclusus, & velut oppressus in angustiis, & obscuris ædibus consistes? quando respirabis a fumo, & corrupto aere urbium, quæ non nisi carcerum instar habendæ sunt? Crede mihi, hic amœnior dies, hic serenior, puriorque aer aspirat. *Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? crede mihi, nescio, quid plus lucis aspicio.* Si terret solitudo aspera, animum in cœlum attolle, cogitatio hæc omnem tibi horrorem solitudinis tollet. (a) *Quotiescunque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris.* Divus Gregorius Naz. magis solitudinis pretium extollit, dum per eam hominem in DEUM mutari asserit.

Sermo, quo Christianos milites sub Juliano stipendia merentes S. Gregorius Naz. usos, scribit, sublimis est. Milites hi, quos Imperator artibus, donisque suis eo adduxit, ut thuris aliquantum statuis adolerent, infra quas fictitii DEI picti visebantur, delicti sui

(a) Apolog. 2.

ſui horrore perculſi, ſanctoque zelo correpti inde prodierunt: & in publicis compitis exclamarunt: (b) Chriſtum unum, unum Chriſtum corde retinemus: accipiant vocem noſtram omnes homines, intelligat DEUS, cujus unius beneficio vivimus, cujusque cauſa vitam effundere in deliciis habemus. Servator cultu digniſſime! non violavimus fidem, quam tibi addiximus: fidei, quam profeſſi ſumus, nuncium non remiſimus. Si noſtra manus facinus admiſit, animus certe illius expers eſt: artificia nos Cæſaris luſerunt, aurum nos corrupit, ſi facinus perpetravimus, noſtro illud eluemus ſanguine. His palam edictis ad Cæſarem ſe retulerunt, & ad pedes ejus magna animi firmitate abjecto auro, quod ut infauſtum ab eo donum admiſerant, elata voce dixerunt: Imperator, non donum a te accepimus, mortis in nos ſententiam tuliſti: vocati ſumus, non ut virtutis ergo præmio aliquo condecoraremur, ſed ut infame nobis ſtigma inureretur. His honoribus, ut voles, milites tuos idolorum cultui addictos cumula: nos a te expoſcimus, ut nos morti addicas, Chriſtoque immoles, quem DEUM & Ma-

 giſtrum

(a) Adv. Julian. Orat. 3.

giſtrum noſtrum agnoſcimus. In locum ejus ignis, in quem incenſum conjecimus, alium ſuccendi jube, quo in cineres redigamur: amputa has manus, quibus tuum aurum contigimus: trunca hos pedes, quibus ad tuam ſtatuam adorandam accurrimus: aurum tuum in alios eroga, quos admiſſi pœnitere haud poſſit. Satis uno JESU divites ſumus, qui unus rerum omnium locum apud nos explet. Quod tamen S. Gregorius adjungit, ſuperius allatis multo pulchrius eſt: noluiſſe, ait, Imperatorem morti eos addicere, ne martyrii eos honore ornaret, ceu vero non alioquin martyrii honore inſignes eſſent, qui tanta ejus cupidine exarſerant, in exilium eos duntaxat deportari juſſos, ut illatum ſibi Cæſar contemptum vindicaret, Julianus adeo non illos relegando punivit, ut grandi illos beneficio cumulaverit, id illis tribuens, ne coronatum illud monſtrum aſpicere cogerentur.

Divites illi avari, qui non modo nihil beneficiorum alteri præſtant, ſed & ſuarum rerum uſum ſibi negant, unico velut ductu excellenter expreſſi ſunt a S. Cypriano: ſuum argentum nominant, dicit Sanctus, quod tamen clavi

obſe-

obseratum recondunt, & tanta cura custodiunt, nec eo utuntur, ceu alienum esset: possident illud, sed ea duntaxat de causa, ne alteri eo frui liceat. (a) *Pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt. Possident ad hoc tantum, ne possidere alteri liceat.*

Magnitudinem DEI bene effert S. Augustinus, dum ei dicit: (b) *ubique totus es, & res nulla te totum capit.* Tertulliano teste, DEUS est (c) *ipse sibi mundus, & locus, & omnia.* S. Bernardus interrogat, quid DEUS sit, respondetque, omnia, quæ spectamus, ortum illi suum debere. Nihil sine DEO consistere potest, quemadmodum ille sine se ipso esse minime potest. Ille a se originem trahit, rebusque omnibus confert, & inde dici quadam ratione potest, & suam sibi existentiam, & reliquis rebus omnibus tribuere. (d) *Tam nihil est sine ipso, quam nec ipse sine se potest; ipse sibi, ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est & omnium esse.*

Bella

(a) Epist. 1 ad Donat. (b) Confess. lib. 1. cap. 1. (c) Adv. Prax. (d) De Consid. lib. 5. cap. 6.

Bella est comparatio, quam S. Ambrosius inter fictitios idololatrarum Deos, & verum DEUM adhibet. Pater hic enarrat primum, quid egerit Dionysius Tyrannus ad illudendum Diis, eum nempe, cum subiisset templum Jovis, statuam veste aurea, qua amicta erat, spoliasse, & laneam injecisse, propterea quod obtentui sumeret, auream illam hyeme non satis frigora arcere, æstate vero nimium quam magno oneri esse. Narrat deinde, ut idem Dionysius Æsculapio barbam auream detrahi jusserit, quod autumaret, a decoro abhorrere, si filius tantam barbam imberbi Apolline Patre aleret: quæ facta pensans S. Ambrosius eleganter dicit: qui fieri potest, ut iis ceu Numinibus honor deferatur, qui nec Deorum more vim prohibere, nec hominum more latebras captare possunt: (a) *Quis eos colat, qui nec defendere se quasi Dii, nec abscondere quasi homines possunt?* Indicat deinde, quid discriminis intercedat inter DEUM, & idola exemplo Jeroboami: sceleratus hic Princeps manum suam exarescere sensit, dum eam in thesauros templi, quos Pater illius Numini consecrarat, immitteret, dumque

(a) Lib. 2. de Virgini.

que incensum idolis in sancto altari adoleret: sed eo ipso tempore, quo pœnitudo eum criminis subiit, valetudinem recuperavit, ut merito S. Ambrosius dicat, manum, quæ sacrilegio exaruerat, religione restitutam fuisse, iramque, & misericordiam Numinis in eodem homine, & eodem tempore adeo comprobatam, ut impius usum manus amitteret, flagitium detestans veniam obtineret. *Statimque manus, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno & misericordiæ divinæ, & indignationis exemplum exstitit, ut sacrificanti dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur.*

Quam absurdum, quam parum rationi congruum est, dicit S. Maximus, hominem, quem nudum mater in lucem dedit, quem Ecclesia nudum sacro fonte abluit, divitiis onustum aditum in cœlum reperire velle. (a) *Quam incongruum, & absurdum est, ut quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives intrare velit in regnum cælorum.* Eodem in loco, hac ipsa super re idem inquit, non magis hominem onustum thesauris, & honoribus tumentem

(a) In solemni. Michael. Arch.

tem in cœlum admittendum, quam animal onuſtum, arctum, & impervium iter ſit perrupturum. *Quisquis honoribus inflatus fuerit, & auri theſauris dilatatus, tanquam onuſtum, & impeditum animal per anguſtum regni iter tranſire non poterit.*

Tenerum eſt, quod Tertullianus de DEO dicit, enormia quævis, quæ in orbe committuntur, crimina tolerante. DEUS tolerat gentes perverſiſſimas, & ingratiſſimas: non punit impudicitiam, avaritiam, injuſtitiam magnis in dies incrementis auctam, uſque adeo, ut ſua ſibi patientia quodammodo finem deroget, & nimiæ pene Numinis clementiæ adſcribendum, quod multi Deum nullum humanis rebus præſidere exiſtiment. (a) *Ut ſua ſibi patientia detrahat: plures enim Domino idcirco non credunt.* Cyprianus, qui aſſiduo Tertullianum volvit, eumque ut Magiſtrum imitandum ſibi propoſuit, ab eodem mutuatus eſt locum illum, quo ait, extremam Numinis patientiam contemptum divinæ Majeſtatis ingenerare. (b) *Qualis vero & quanta patientia in contumeliam ſuæ Majeſtatis.*

Apo-

(a) De Patientia cap. 1. (b) De Patientia.

Apologia Tertulliani inter opera admiranda referenda eſt, & inter omnia ſcripta, quæ nobis antiquitas reliqua fecit, vix aliud reperias, cui plus nervi, pretiique inſit. Doctus hic Afer grande diſcrimen merito notat inter Chriſtianos, aliosque facinoroſos ad dicendam cauſam evocatos. Poſtquam dixit, conſtitutum eſſe a natura, ut ſcelus quodvis, vel timor, vel pudor excipiat: (a) *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit*, & in more eſſe ſceleratis, ut latebras captent, in carcerem abripiendi contremiſcant, ipſa inter ſupplicia facinora ſua abnegent, & condemnati ſorti ſuæ illachrymentur, adjungit de Chriſtianis: Apud Chriſtianos contra aliter longe res habet: nemo erubeſcit, cum Chriſtianus reperitur, neminem pœnitet hujus fidei, niſi fors doleat, nimium quam ſero hanc ſe complexum. *Chriſtianus vero quid ſimile? neminem pudet, neminem pœnitet, niſi plane retro non fuiſſe.* Ad judices rapti, id gloriæ ſibi ducunt, accuſati ſe non defendunt, veritatem edicunt, dum interrogantur, dum condemnantur, grates referunt judicibus. Quid igitur hic criminis ſubeſt? illi, qui facino-

(a) Cap. I.

cinorosi habentur, vel in ipso supplicio gaudio perfunduntur, optant deferri, pœnamque, quæ illis irrogatur, veram felicitatem existimant. *Quid hoc mali est, cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, & pœna felicitas?*

Elogium, quo S. Bernardus Eugenio Papæ scribens Christi Vicarium exornat magnificum, & ex genere sublimium est. (a) Est Sacerdos magnus, Pontifex supremus, Caput Episcoporum, Successor Apostolorum, Abelis locum nascendi ordine explet, Noemum jure gubernandi arcam refert, Melchisedechi vicem inter Sacerdotes tenet, Patriarchæ dignitate Abrahamum exprimit. Conjungit in se dignitatem Aaronis, authoritatem Moysis, potestatem Samuelis in judiciis ferendis, potentiam Petri, unctionem Christi. Denique Pastor communis est non ovium modo, sed & ipsorum Pastorum.

Idem Pater sublimes sensus de Christiana demissione ingenerat, dum dicit: Magna haud dubie, raraque virtus est, suam magnitudinem non nosse, sanctitate ea effulgere, quæ omnium oculos præter-

(a) Lib. 2. de Consid. cap. 8.

præterquam proprios perstringit, omnibus admirationi esse, & se contemnere, nulloque in loco ducere: hunc sui contemptum ipsis virtutibus magis admirandum duco. (b) *Magna, & rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.*

Animadversio S. Augustini loquentis de effectis, quæ ex mortis meditatione profluunt, plena est spiritus. Ipsum vitiorum supplicium in virtutum instrumentum vertitur: mortui sunt illi ob perpetratum flagitium, hi peccato abstinent, quia moriuntur. (b) *Ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutum. Mortui sunt illi, quia peccaverunt, non peccant isti, quia moriuntur.* Eandem fere rem, sed aperto magis, simplicique modo S. Chrisostomus exprimit: nam utut magna facundia fuerit, elaboratam tamen nimium eloquentiam plerumque aspernatur, soliditatique magis,

m gis,

(a) Serm. 13. super Cantic. (b) Lib. 3. de Civit. cap. 41. (c) Hom. 5. ad popul. Antioch.

gis, quam teneritudini cogitationum indulget. Verba illius reddo: (c) Peccatum & dolori, & morti aditum in hunc mundum aperuit: admirabili tamen Numinis consilio ipsum peccatum, quod dolorem, & mortem peperit, destructum est per dolorem, & mortem.

Cicero utut optime de amicitia scripserit, non tamen perinde feliciter atque S. Augustinus. Vide, quid me magis in mutuo amicitiæ usu afficiat: (a) *Colloqui, & corridere, benevole obsequi, simul legere libros dulciloquos, simul nugari, simul honestari, dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas*, docere aliquid amicum suum, rursumque ab eodem edoceri, desiderare illum cum inquietudine, expectare absentem cum desiderio, amplecti cum gaudio reducem: denique per omnia teneri amoris indicia, signaque animas aliqua ratione ita permiscere, ut plures in unam abiisse videantur. Hæc amicitiæ descriptio pulchra est, & polita, nihil in ea primariorum amicitiæ officiorum desideratur: (b) S. Gregorius Nazianzenus

(a) Confess. lib. 4. cap. 8. (b) Epist. 182.

nus in eo amicitiæ naturam conſtituit, quod amicos bona, & mala, gaudium, & mœrorem inter ſe partiri dicat, communiaque ducere.

S. Hieronymus, ut comprimeret eorum maledicentiam, qui indigne ferebant, literarum ſe commercium cum Euſtochio Virgine alere, opportune dicit: Annam & Deboram Prophetiæ dono, viris ſilentibus claruiſſe, & in Chriſti obſequio non a nexu diſcrimen, ſed a virtute petendum. (a) *Annam, & Deboram viris tacentibus prophetaſſe, & in ſervitute Chriſti nequaquam differentiam ſexuum valere, ſed mentium.*

Loquens S. Ambroſius de eo, quod diabolus momento uno omnia mundi regna Chriſti oculis ſubjecit, ſubtiliter adnotat; id non tam indicat modicum tempus, quo communis mortalium hoſtis Servatori mundi amplitudinem totam ſub conſpectum dedit, quam tempus breve, quo illa perfrui conceditur, Nam quæ mundus ſplendidiſſima habet, momento prætervehuntur, & ſæpe honores prius effluunt, quam teneantur. (b) *Non tam conſpectus celeritas indica-*

(a) Procem. in lib. 12. Comment. Iſaiæ. (b) In Luc. lib. 4.

tur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur: in momento enim cuncta ista prætereunt, & sæpe honor sæculi abit, antequam venerit.

Crede experto mihi, S. Bernardus ait, majus quid in silvis, quam libris invenies. Arbores, rupesque ea te edocebunt, quæ a præstantissimis Magistris discere tibi non licuisset. (a) *Experto crede, aliquid amplius invenies in silvis, quam in libris. Ligna, & lapides docebunt te, quod a Magistris audire non possis.* Hoc dicto innuit Sanctus, ad cœli arcana, & arcanorum scientiam ediscendam scholam nullam solitudini præferendam.

Salvianus loquens de vetustis Consulibus, qui ipsi aratrum ducebant, & frugaliter admodum vivebant, sane quam eleganter, tunc Magistratuum, ait, paupertas Rempublicam ditissimam reddebat, nunc illorum opibus respublica in paupertatem dejicitur. (b) *Tunc illi pauperes Magistratus opulentam habebant rempublicam: nunc autem dives potestas pauperem facit esse rempublicam.*

Ne

(a) Epist. 106. (b) Salv. lib. 1. de Provid.

Ne nos ipsi deludamus, inquit S. Paulinus, loquens de elemosyna: usuram cum DEO exercemus, quando nos ei quid largiri credimus: ne blandiamur nobis de nostra liberalitate: ipsis fœneratoribus, qui lucro tamen avide adeo inhiant, avariores sumus, quin & nos illos avaritia vincimus, quod nos non ut illi rem caducam, & alioquin perituram cum alia ejusdem plane naturæ commutemus, sed fragilibus nos duntaxat rebus abdicemus, ut æterna comparemus. (a) *Largiri nos aliquid credimus: negotiamur, & liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur, & quidem tanto avariores cupidissimis terræ fœneratoribus, quanto amplius est cœlestia de terrenis, & beata de miseris, egenisque rebus emere, quam terrena terrenis, & labentibus lapsura mercari.* Unius Evangelii ea singularis prærogativa est, ut vitia in virtutes mutet, crimenque in virtutis meritum, pretiumque attollat. *Ecce Evangelii gratia ostendit nobis, quomodo eadem crimina ad innocentiam, sanctitatemque mutentur.* Lex Moysis usuram prohibet, lex Christi docet, qua ratione eam sacrari velut oporteat, altera ut vetitam

 dam-

(a) Epist. 12.

damnat, modum edocet altera, quo illa justa reddi possit. Fœnori loca argentum, sed apud Christum, tutoque usuram exercebis. *Da ad usuram peccunias tuas, sed Christo, & salutaris usura est.*

Quantumcunque Cicero in Philippicis suis omnes eloquentiæ aculeos in Antonium exerat, paucula tamen verba, quibus S. Gregorius Nazianzenus in Julianum Apostatam invehitur, vibrata ea Ciceronis fulmina superant: (a) Iste est crudelissimus post Herodem persecutor, proditor post Judam maxime perfidus, peremptor JESU Christi post Pilatum injustissimus, & DEI post Judæos hostis acerrimus.

Per occasionem mentionis de sanctis Petro & Paulo injectæ sanctus Leo ita Romam alloquitur: Isti sunt viri, quorum ministerio lumen tibi fidei affulsit, horum institutione, quæ errores prius toto orbe sparseras, veritatis Discipula reddita es. (b) *Quæ eras Magistra erroris, facta es Discipula veritatis.* Isti te ad tam sublimem gloriam provexerunt, ut cum te sedem sibi S. Petrus

(a) Orat. 3. (b) Serm. 1. in Natal. Apostolorum Petri, & Pauli.

Petrus delegit, ſacerdotalis, & regia ſimul urbs conſtitueris, caput orbis adeo, ut ſacro imperio plura multo, quam profana potentia complecтereris. *Civitas ſacerdotalis regia, per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſideres religione divina, quam dominatione terrena.* Illuſtres hæ cogitationes Eccleſiæ Romanæ dignitatem extollunt, ſed quæ proxime conſequuntur, deprimunt Romam idolorum cultui addictam. Hæc ſuperba civitas, quæ armorum potentia omnes fere nationes ſub jugum miſit, prope ſe in mancipatum errorum omnium populorum dedit, & piam ſe credidit, ſi nullum errorem rejiceret, qui uſpiam vigeret. *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.*

Origenes, ut oſtendatur, quam omnes ſcientias exhauſerit, viva Bibliotheca fuiſſe dicitur. Et S. Hieronymus Nepotianum dicit legendi, ſcribendique aſſiduitate Bibliothecam evaſiſſe, quæ JESU Chriſti dici merebatur: propterea, quod lectio, meditatioque illius

lius in eas duntaxat veritates ferretur, quas Chriſtus homines edocuit: (a) *Lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti.* Expreſſio paulo violentior eſt, cogitationem tamen bene exprimit. Sanctus Bernardus, ut mihi quidem videtur, ſuperat Tacitum de Agricola dicentem, hunc armorum Præfectum ſciviſſe omnia, non omnia executum fuiſſe. Nam Sanctus ad Eugenium Papam ſcribit, eſſe plures res, quarum ne notitia quidem imbui debeat, plurimas eſſe, quas perinde ut ignotas diſſimulatione obtegere, nonnullas vero, quas oblivioni dare debeat. (b) *Multa neſcias, plurima diſſimules, nonnulla obliviſcaris.*

Ratio, quam affert S. Auguſtinus ad animandos Chriſtianos, ut intrepide fidem profiteantur, ſimplex, & nullo artificio fucata, ſimul tamen valida eſt. Cavete, ne nos religionis veſtræ pudeat, quod corde ſentitis, ore edicite; nam myſterio non vacat, quod JESUS Chriſtus ſignum ſuum fronti, in qua pudor reſidet, imprimi voluerit: imperium id eam ob cauſam edidit, ne Chri-

(a) Epiſt. 3. (b) De Conſid. lib. 4. cap. 6.

Christianus ob opprobria, & crucem Christi pudore suffundatur. (a) *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.*

S. Chrysostomus considerans supplicium nullum ab iis repetitum fuisse, qui maledicas in DEUM voces jaciebant, simulque perpendens, eodem fere tempore a lasciviente populo statuis Theodosii violentam manum injectam, sublimem, seque dignam cogitationem affert. (b) Contempsimus injurias DEO illatas, & ille passus est, injuria a nobis terrestrem Dominum impeti, qui cum suas persequetur injurias, eas simul, quibus Numen offendimus, vindicabit.

S. Hieronymus vitam Pauli Eremitæ terminat, sermonem ad divites vertens. Vobis pretiosa vasa, illi manus vola potum ministravit. *Vos gemma bibitis: ille naturæ concavis manibus satisfecit.* Vos auro vestimini, ille lacerna, quali servi vestri teguntur, vix nuditatem arcuit. Sed pauperem hunc ere-

(a) In Psal. 30. (b) Hom. 2. ad popul. Antioch.

micolam cœlum cum gaudio accepit, vobis contra divitibus ſolus infernus reliquus eſt. Paulus vix bene modico contectus pulvere extremo illo ſæculorum die ad gloriam ſuſcitabitur, vos e magnificis Mauſolæis cum theſauris veſtris in ignem mittemini. Reſpicite vosmet, precor, habete curam opum, quas perdite amatis. Cur mortuos telis aureis involvitis? Cur vanitas vel in luctu, lachrymisque ſe prodit? anne divitum cadavera putredo non abſumet, niſi ſerico tegantur. *Illi pauperculo paradiſus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet. Cur ambitio inter luctus, lachrymasque non ceſſat? an cadavera divitum, niſi in ſerico putreſcere neſciunt?*

S. Ambroſius poſtquam dixit, a morte omnes homines æquari, divites non minus, quam pauperes e vita evocari, quin quid ſecum aufferant, idque unum diſcriminis hos, illosque inter eſſe, quod cadavera divitum, qui exquiſitis nutriti ſunt ferculis, tetros magis fœtores exſpirent. (a) *Nulla diſtinctio inter cadavera mortuorum, niſi forte, quia gravius fœtent divitum corpora diſtenta luxuria.*

Con-

(a) Ambroſ. in Hexam.

Consilium, quod suggerit S. Paulinus ingenioso cuidam sua ætate homini, jucundo, & amœno modo est conceptum. (b) Nihil te eorum, quæ in Poetis pulchra reperire est, latet, omnes illorum, ut videtur, flores collegisti. Eloquentia celeberrimorum Oratorum redundas, notitiam Philosophiæ ipsis e fontibus hausisti. Scientiam tuam peregrinis linguis auxisti, jungens Græciæ amœnitates cum Romana Majestate, *Peregrinis etiam dives literis, Romanum os Atticis favis imples.* Edic, amabo, an nulla te evocant negotia, cum Cicero, & Demosthenes te sibi vindicant? temporis semper aliquid erudito huic otio suppetit, tum solum gravissimæ occupationes impediunt, cum quid temporis JESU Christo, sapientiæ nempe divinæ impertiendum est. Ut Philosophiam exhaurias, nunquam tempore excluderis, at excluderis, cum Christianæ vitæ præcepta accipienda sunt. Muta rerum ordinem, & cum de DEO agitur, Peripatum, cum de mundo, Pythagoram sequere. *Vacat tibi, ut Philosophus sis, non vacat ut Christianus sis. Verte potius sententiam: esto Peripateticus DEO, Pythagoreus mundo.* Extremis

(a) Epist. 39.

tremis his vocibus Sanctus eum, ad quem ſcribit, hortatur, ut illud ſalutis ſuæ cauſa ſuſcipiat, quod profanæ ſapientiæ condiſcendæ ergo Ariſtotelis, & Pythagoræ Diſcipuli egerunt, ad hæc nempe præcepta, ut dicebatur, vitam exigentes: Ad DEUM te verte, ſemitis cœli inſiſte, ama ſilentium, omnem cum mundo uſum amputa.

Ratio, quam reddit S. Chryſologus, cur DEI Filius omnes naturæ humanæ debilitates, ne ipſa quidem in-infantia dempta, aſſumpſerit, pulchra eſt, & excitando affectui apta. Natura docet, quid poſſit, quidque infantia mereatur: quis utut barbarus reſiſtat moribus ſimplicibus, & affabilibus infantis? mitigat vel ferociſſimam indolem, cordibus duriſſimis teneritudinem inſpirat. Patres, matresque id præ aliis norunt, orbis totus comprobat, ipſi ſenſus, qui viſo infante excitantur in animo, fidem faciunt. Ille ergo, qui amorem unice ſui, non timorem nobis ingenerare voluit, naſci cum his infantiæ blandimentis voluit: (a) *Sic ergo naſci voluit, qui amari voluit, non timeri.*

San-

(a) Serm. 158.

Sanctus Augustinus ut probet, solam intentionem esse, a qua actionibus pretium accedit, sapienter, non tam considera, ait, quam illustre sit, quod homo agit, sed quem actionibus suis scopum designet: finge navarchum optime navim suam gubernare, sed nescire, quo cursum flectere debeat, quid illi proderit gubernaculo advigilasse, proram e legibus nauticæ flexisse, evitasse maris impetus? quanto is majore peritia gubernandi navim instructus videtur, tanto præsens magis incurrit periculum, dum nullam certam semitam tenet, aberrat, & quanto magis progreditur, tanto naufragium certius facit: eadem conditio ejus est, qui virtutem sequitur magnis passibus, sed extra viam fertur. (a) *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat. Fac enim hominem optime gubernare navim, & perdidisse, quo tendit, quid valet? Nonne iste, quanto sibi videtur in gubernanda navi agilior, & efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat, ut ad naufragium properando perducat. Talis est, & qui optime currit præter viam.*

Non

(a) In Psal. 31.

Non minus ingrati, quam ſuperbi ſumus, dicit S. Paulinus, dum ejus voluntati reſiſtimus, cujus vel imperium inter beneficia reponendum eſt. (a) *Nos ſuperbo ſimul, & ingrato animo ejus renitimur voluntati, cujus etiam imperium beneficium eſt.* Uno hic verbo exprimitur diſcrimen, quod inter DEUM, aliosque hoc in orbe ſpectatæ conditionis homines intercedit, quorum imperia oneroſa ſunt, & ardua.

DEUS veſter, ait S. Cyprianus, periclitari vos, cujus demum conditionis ſitis, vult, an totos vos ejus amori conſecretis. Sic Abraham ſuum amorem in DEUM comprobavit, dum ejus amore filium ſuum perdere commiſſo parricidio non horruit. (b) *Ut DEO placeret, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recuſavit.* Si navarchi peritia in tempeſtate comprobatur, ſi animus militis in conflictu, gloriandum non admodum eſt, ſi nihil diſcriminis imminet. *Delicata jactatio eſt, cum periculum non eſt.*

S. Hieronymus quodam ſpiritus ardore ſuccenſus inducit loquentem Monachum

(a) Epiſt. 50. (b) De Mortalitate.

nachum Malchum, qui in captivitatem Saraceni delapsus, e domo Domini sui fuga se proripuit, & ab eo jamjam retrahendus. quo iræ se ejus subduceret, in caverna viperis, & scorpionibus horrente cum fugæ socia, & ut videtur, Sponsa se abdidit, hoc ad eam sermone usus, ut ipse Malchus, vitæ suæ seriem cum repeteret, S. Hieronymo enarravit: Non longius progrediamur, ne fugientes mortem, eam certius incurramus. *Nequaquam ultra progredientes, ne, dum mortem fugimus, incurramus in mortem.* Mutuo loquebamur: si DEUS miseros protegit, hic nobis asylum aperitur, si peccatores aversatur, tumulus patet. *Si juvat Dominus miseros, habemus salutem, si despicit peccatores, habemus sepulchrum.* Hæc cogitatio immitatione accedit, quin exprimit eas fere voces, quas usurpat Poeta Tragicus, dum inducit Andromachen abscondentem in Hectoris tumulo Astyanactem (a) *Fata si miseros juvant, habes salutem, fata si vitam negant, habes sepulchrum.* Ubi vero barbarus, qui vitæ Malchi imminebat, ad aditum cavernæ accessit, Malchus terrore perculsus exclamavit: O quanto mor-

(a) In Troad.

mortis expectatio ipsa morte durior est! *O multo gravior expectata, quam illata mors!* De Leæna, quæ ex cavernæ imo emergens, non servum modo, quem Dominus antrum subire compulit, sed crudelem ipsum Dominum devoravit, dicit Malchus: quis vel animo fingere potuisset, ferocem belluam pro nobis pugnam capessituram? *Qui sunt, qui hoc crederent, ut ante os nostrum bestia pro nobis dimicaret.* Quibus dictis adjungit: non erat, quod a barbaris metueremus amplius, is unus metus supererat, ne eodem, quo illi mortis genere, rapiamur, nisi quod leonis rabies concitati hominis furore mitior erat. *Nisi quod tutius erat rabiem leonis, quam iram hominis sustinere.*

Cogitationes hæ omnes acutæ sunt, & scientiam rudis eremicolæ superant: animarit eas haud dubie S. Hieronymus pro more probatorum magis historicorum, qui cultas etiam barbarorum orationes scriptis suis inseruerunt. Narratio certo Malchi stylum S. Hieronymi redolet, ut Galgaci (a) oratio eloquentia Taciti resplendet: Finis narrationis indubiam fidem adstruit. En, ait

(a) In vita Agricolæ.

ait Sanctus, historiam, quam juveni mihi Malchus provectæ jam ætatis narravit: ego jam senex vobis eam recensui: vos posteris vestris repetite, ut norint, inter ipsa arma, inter deserta, & feroces bestias pudicitiæ vim inferri non posse: hominem Christo addictum mori, at minime vinci posse. *Vos narrate posteris, ut sciant inter gladios, & inter deserta, & bestias pudicitiam nunquam esse captivam, & hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.*

De S. Martyre Thecla, quæ leonibus a proprio Sponso objecta fuit, S. Ambrosius ita loquitur: Res erat visu digna, ut ferox bellua Virginis pedes lamberet, & quo nescio muto sono testaretur, sacro Virginis corpori dentes se infigere haud posse. Bestia suam velut naturam dedocta mitis suam prædam venerata est, moresque placidos, quos homines posuerant, sumpsit. (a) *Cernere erat lingentem pedes bestiam, muto testificantem sono, quod Sacrum Virginis corpus violare non posset. Adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam indue-*

 rat,

(a) Lib. 2. de Vir.

rat, quam homines amiserant. Quale spectaculum! quæ insolens rerum mutatio! homines in bestias versi novas furias bestiis inspirarunt: bestiæ osculo Virginis pedes coluerunt, ut homines humanitatem edocerent, virginitas adeo admiranda est, ut vel ipsos leones in stuporem det. Martyrem reverentes, religionem, & castitatem docuerunt, non ausi caput attollere, & plantas duntaxat pio osculo venerari. *Tantum habet Virginitas admirationis, ut etiam leones eam mirentur. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum Virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis.*

Tertullianus commemorans, quam inique illo tempore Judices in Christianos desævirent, ingeniose animadvertit: Quando facinorosi apud Tribunal accusati crimen abnegant, cujus rei peraguntur, tormenta iis admoveri jubetis, ut iis adacti scelus confiteantur: solos Christianos eo adigitis, ut tormentorum impatientes fidei nuncium remittant. (a) *Cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis*

(a) Apol. Cap. 2.

solis Christianis ad negandum. Cruciatus inter exclamat quispiam: Christum sequor: verum edicit: vos contra eum adigere vultis, ut alium, quam qui est, se edicat: insolens prorsus est ab iis, qui judicum munus tenent, ut veritatem ex ore improborum exprimant, nos solum ad mendacium adigi. *Vociferatur homo, Christianus sum; quod est, dicit: tu vis audire, quod non est. Veritatis extorquendæ præsides: de nobis soli mendacium elaboratis audire.* Ut ostendat Tertullianus, omne Christianorum crimen, in nomine, quod gerunt insidere, adjungit: Cruciamur, dum nostrum nomen profitemur, absolvimur, dum abnegamus: quia nomini duntaxat nostro prælium movetur. *Torquemur confitentes, & absolvimur negantes: quia nominis prælium est.* Sed quid nomini flagitii inest, ut insignitos eo omnium odiis objiciat? (a) *Si nominis prælium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum?* Qui fieri potest, ut quis nominis causa in crimen vocetur? præsertim si nomen nihil barbarum spiret, nec malum omen portendat, non charitati, vel pudori detrimentum quod inferat. Nomen Christiani ortum ducit

(a) Cap. 3.

ab unctione: hoc nomen est, quod Magister noster DEI Filius delegit, ut Regem se fidelium, & Sacerdotem Magnum novi fœderis comprobaret.

In illud, quod caput Joannis Baptistæ sanguinolentum etiamnum in disco allatum fuit, S. Chrysologus, Præcursor, inquit, Domini in Herodis mensa, ceu judex in suo tribunali comparuit, ut postquam vivens peremptores suos adulterii arguit, mortuus condemnaret mortem sibi illatam. (a) *Venit Joannes, ut judex in tribunali: ut qui arguit adulterium, homicidium etiam damnaret occisus.* Idem Pater contra infelicem hunc Principem adjungit: Quæ demum venia illi homini concedatur, qui Joannem perimens ipsam pœnitentiam e medio sustulit? *Quam quæso meretur veniam, qui in morte Joannis ipsam pœnitentiam jam crudeliter interemit?* Herodes, Herodias, qui crimine vos magis, quam nominis similitudine refertis, necquicquam credidistis, vos exprobrationem Prophetæ amputando ei caput effugituros. Ille se vocem clamantis in deserto edicit: vox opprimi non potest a morte, exsoluta corpo-

(a) Serm. 184.

corporis vinculis vi præquam ante majore est. *Vox occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporis absoluta.* Similis voci Abelis, quæ diffusa latius, ipsum usque ad cœlum pertigit, postquam terra ejus sanguinem imbibit. Ad eum pariter modum evenit, ut Joannes toto orbe audiatur, vestrumque crimen sæculis, populisque omnibus vulgetur.

Quod affert S. Hieronymus ad animandos Ethnicos, qui, quo vixit tempore, supererant, ut idolis renuncient, rationi congruum est. Fiunt, non nascuntur Christiani, Capitolium tanto olim auri fulgore decoratum rarum hodie cultorem numerat. Templa, quæ Roma olim suis Numinibus posuit, aranearum telis fœdata sunt. (a) *Fiunt, non nascuntur Christiani. Auratum squalet Capitolium. Fuligine, & araneorum telis omnia Romæ templa cooperta sunt.* Urbs ad solum usque exusta est, & populus altaria sua pene diruta videns totis agminibus ad sepulchra Martyrum decurrit. Si prudentia vobis non suadet, ut fidem amplectamini, at iste pudor vos adigat. *Si non extorquet fidem prudentia, extorqueat saltem verecundia.*

(a) Epist. 7.

dia. Cogitatio S. Hieronymi in eo vertitur, quemque, qui etiam fidem Catholicam ſtabilitam ubivis pro eo, ac recta ratio imperat, amplecti abnuit, eo ſaltem e capite admittere debere, quod probroſum ſit cultum, quem totus orbis jam deſeruit, profiteri. Subinde, ut majus robur ſuis dictis addat, ſubjicit, In medio Romæ templa veſtra deſerta ſunt: Dii, quos alias populi omnes coluerunt, commune cum noctuis, & bubonibus domicilium habent. Militum Romanorum vexilla crucis inſignibus condecorantur. Hoc ſignum ſalutis noſtræ majorem ſplendorem purpuræ, & Regum coronis addit. *Solitudinem patitur in urbe gentilitas. Dii quondam gentium cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus manſerunt. Vexilla militum, crucis inſignia ſunt. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat.*

Cogitatio S. Ambroſii in ea Iſaiæ verba: (a) *Erubeſce Sidon, ait mare.* Exprimit indolem avaritiæ, docetque, quo uſque inſatiabilis opum cupido homines impellat: (b) *Erubeſce Sidon fatigati elementi vox eſt.* Ceu diceret: merca-

(a) Iſa. 23. v. 1. (b) De Elia & jejun. cap. 19.

mercatores lucri avidi, in meos fluctus invehimini, cum navigationes vobis minus e voto cedunt! vos, qui majoribus quam fluctus mei turbis agitamini, erubescite, tot damnis, & naufragiis vos non absterreri. Venti mei minus turbarum cient, sunt illis sua, quibus conticescunt, intervalla: ditescendi amor nullam vobis unquam quietem indulget. *Verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates: illi habent otia sua, nunquam vestra quærendi studia feriantur.* Est non raro sua mari tranquillitas, ubi undæ placidæ quiescunt, vestræ naves nunquam non impelluntur, ventis non aspirantibus remis eas animatis. *Versatur unda sub remige, quando quiescit a flamine.* Animadversio hæc ingeniosa est, vixque hac in materia acutius quid dicas. Jam ante Sanctus commemoraverat: piscibus non hominibus datum est mare decurrere: mare nobis datum est, ut inde vitæ vestræ alimenta, non nova pericula accersatis. *Piscibus dedit non hominibus perambulare semitas maris: ad escam tibi mare datum est non ad periculum:* cur in abyssos elementi profundi adeo & remoti vos demittitis? cur navibus meos fluctus diffinditis? cur maria quantumvis innocua

cua torquetis? cur longis itineribus provocatis, & lacessitis æquora? insolita negotiatorum avaritia, quæ nunquam satiari potest! *Cur tentas frequenter innoxia æquora? irritas procellas?*

Descriptio Homeri a S. Augustino allata, absolutum est numeris omnibus opus: Homerus, cui omnes Deorum & Semideorum fabulæ ortum suum debent, quique eas adeo bene commiscuit, inter omnes suavissime mentitus est: (a) *Homerus peritus texuit tales fabellas, & dulcissime vanus est.* Scripta illius delicata stultitia conferta sunt, & dum res nullius prorsus momenti enarrat, fascinat, totumque hominem occupat. Alias jam per occasionem Jovis fulminantis, & adulteri dixerat: ut dicam, quod sentio, hæc inter se minime conciliari possunt: sed fictitia hæc tonitrua, quibus armatus est, jus illi velut tribuerunt, verum adulterium imitandi. Fictio hæc, adjungit, Homerum authorem habet, qui in Deos transtulit omnes, quibus homines laborant imbecilitates: optassem, ut hominibus potius Poeta virtutes divinas adjunxisset: (b) *Fingebat hæc Homerus, & humana* ad

(a) Confess. lib. 1. cap. 14. (b) Confess. lib. 1. cap. 16.

ad Deos transferebat, divina mallem ad nos. Certe divini honores flagitiosissimis hominibus adjecti sunt, ea de causa, ne crimina, si suam præferrent speciem, perterrerent, & ut quisque, ubi ea perpetrasset, non facinorosos homines, sed ipsos Deos imitatus sibi videretur. *Hominibus flagitiosis divina tribuuntur, ne flagitia putarentur. Et ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes Deos videretur imitatus.* Nihil his dictis magis verum, ingeniosumque fingi potest.

Sanctus Bernardus scribens ad Priorem magnæ Carthusiæ, suamque in scribendo tarditatem excusans, postquam dixit, veritum se fuisse, ne sanctam illius quietem, & solitudinis silentium interpellaret, adjungit: verebar, ne quid molestiæ facesserem vel Moysi in monte, vel Heliæ in deserto, vel certe Samueli in templo. (a) *Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Heliæ in deserto, aut certe excubanti in templo Samueli.*

Tanto magis peccare cave in hominem DEO consecratum, dicit S. Paulinus.

(a) Epist. 11.

linus, quanto ille concedendæ veniæ promptior eſt: grandis enim impietas eſt, ei injuriam offerre, qui offenſam nullam animo accipit, & tanto gravius a DEO honori illius conſulente vindicatur, quanto ille minus ultionem ſpirat. (a) *Tanto magis chariſſimum DEI metuas offendere, quanto promptius dignatur ignoſcere: quia majore impietate læditur, qui neſcit offendi, & gravius vindicatur a Domino, qui non expetit vindicari.*

S. Gregorius Nazianzenus maximis laudibus vitam ſolitariam extollit, dum de ea in Apologia ſua ſcribit: (b) Nihil magis exoptandum videtur, quam ducere vitam extra carnem velut, mundumque poſitam; vitam, in qua homo intra ſemetipſum reductus deſtitutus ſit fere uſu ſenſuum, non aliter fere humanis rebus utens, niſi quatenus neceſſitas imperat, nullum commercium niſi ſecum, & cum DEO alens, ſpiritu attolli ultra objecta omnia, quæ in oculos incurrunt, puris illis duntaxat, divinisque imaginibus impleri, quæ nulla humana concretione fœdata ſunt.

Quod

(a) Epiſt. 13. (b) Apol. Orat. 1.

Quod S. Chrysostomus dicit de juvene, e fenestra prolapso, dum ad confertam concionem S. Paulus diceret, & repentino suo fato dictionem abrumpente, vividum, & sententiosum est: (a) Tristis hic casus explevit vicem sermonis, mors officium Oratoris obivit.

Effigies, qua S. Bernardus charitatem expingit, virtutem hanc refert optime. (b) Vult, ait Sanctus, ut tuum dolorem sentias, ne quid reliquum sit, cur crucieris. Vult, ut calamitosam tuam conditionem intelligas, ne unquam in calamitatem prolabaris. Quando te corripit, mitis est, cum blanditias adhibet, simplicitatem nativam præfert: nescio quid tenerum, & misericordiam spirans ipsi rigori, quem usurpat, suevit immiscere: blanditiæ illius nullo artificio, nulla fraude corruptæ sunt: in ira nunquam patientiæ, & indignatione nunquam demissionis obliviscitur. (b) *Vult te tuum sentire dolorem, ut non habeas, unde doleas. Vult te tuam scire miseriam, ut incipias miser non esse. Cum te arguit, mitis est, cum blanditur simplex. Pie solet sævire, sine dolo mulcere,* pa-

(a) Hom. 43. in Act. 20. (b) Epist. 2.

patienter novit irascì, humiliter indignari.

Minucius Felix de Xenophonte, alioque priscis temporibus erudito viro ait, ambos Majestatem Numinis eo maxime capite sensisse, quod desperarint, unquam se eam assequi posse. (a) *Uterque Majestatem DEI intelligendi desperatione senserunt.* Adjungit, sapientes Ethnicos de DEO locutos fidelium instar, ut quis autumare posset, aut nunc Christianos omnes Philosophia, aut Philosophos illos Christianis mysteriis imbutos. *Ut quis arbitretur, aut nunc Christianos Philosophos, aut Philosophos fuisse jam tunc Christianos.* Prius jam de eodem argumento dixerat: Ut palam, quod sentio, edicam, ille, qui DEI magnitudinem assequi se posse credit, de ea detrahit; qui vero autumat, nihil se de ea diminuturum, dum conatum adhibet in ea cognoscenda, eam non novit. *Magnitudinem DEI, qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit.* Hæ ideæ illustres sunt, & abunde edocent, DEUM comprehendi haud posse.

S. Chry-

(a) In Octav.

S. Chryſologus uno velut ductu Hypocriſim depingit, (a) eam virtutum fucum appellans, ceu diceret ab hypocriſi virtutes omnes corrumpi, vitiarique, ut nativa pulchritudo pigmentis illis deprimitur. Addit Sanctus, invento crudeli virtutum arma ab hypocriſi ad enecandas virtutes verti: *Crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum.* Dicta demum ſua hoc modo terminat: vitandum eſt hoc malum, ceu potius peſtis, quæ remedium ipſum in venenum vertit, quæ ſanctiſſimas quasque exercitationes in crimina, vitiaque commutat, quæ hominibus iram divinam per ea ipſa provocat, quæ eum conciliare debuerant, preces nempe, jejunia, & eleemoſynas. *Peſtilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, ſanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum.*

De Valentiano, qui deſerta Gallia in Italiam feſtinatis itineribus contendens, ut ei a barbaris preſſæ ſuccurreret, Viennæ in ætatis flore, expeditioneque adeo illuſtri mortuus eſt, Sanctus Ambroſius dicit, maluiſſe Principem hunc vitam ſuam in periculum conjicere, quam

(a) Serm. 7.

quam ſubjectis in periculo, quod illis imminebat, deeſſe. Maximum crimen, quod admiſſum ab Imperatore novimus, adjungit Sanctus, illud eſt, quod nutanti Romano Imperio ſuccurrere voluerit: vide cauſam mortis, & cauſam, qua non alia magis glorioſa fingi poteſt. (a) *Maluit periclitari ſe, quam noſtro deeſſe periculo. Magnum crimen agnoſcimus Imperatoris, quod Romano voluit ſubvenire Imperio: hæc cauſa mortis, quæ plena laudis.* Lachrymarum tributum tam bono Principi perſolvamus, poſtquam is noſtro commotus periculo mortem ſibi accerſivit. *Solvamus bono Principi ſtipendiarias lachrymas, quia ille nobis ſolvit mortis ſuæ ſtipendium.* Interim tamen, proſequitur Sanctus, non eſt, quod populos ad fundendas lachrymas animem: *Flent omnes, flent & ignoti, flent & barbari:* ipſi inimici fundunt lachrymas, quamvis inviti, dolore tamen confecti non ut Imperatoris, ſed communis omnium partis mortem deflent: quisque ſuo fato illachrymatur, omniumque rerum jacturam ſe feciſſe autumat, amiſſo Principe, qui cum ætatis flore maturitatem ingenii, & prudentiam ſenilem junxit, cujus-

que

(a) De obitu Valent.

que jactura nunquam pro eo ac par est deplorari potest. *Amisimus Imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus.* Hæ cogitationes Plinianæ Panegyris perfectam imaginem referunt.

Exclamatio ejusdem Patris in mortem Valentiani, & Gratiani, & acumine, & teneritudine, abundat. Quomodo conciderunt, quos potentia maxima instructos orbis prius coluit! quam celeriter vita illorum decurrit! non ita citatus invehitur Rhodanus: (b) *Quomodo ceciderunt potentes! quomodo rapidiora sunt utriusque vitæ curricula, quam ipsius Rhodani fluenta!* Gratiane, & Valentiane, quos summo homines inter amore sum prosecutus, quàm pauculos vitæ annos attigistis? quam cito vestræ mortes mutuo se sunt consecutæ? Chari Principes, quos ut commune gaudium, & delicias orbis coluit, communi concordia vitam egistis, nunc idem tumulus sub idem pene tempus vos accipit. Nec tumba vos sejunxit, quos amicitia tam firmo nexu illigavit: discrimen quantumvis inter vos virtutum, alio-

(a) De obitu Valent. Consolatio.

aliorumque donorum esset, mutuo tamen vos referebatis, propterea quod idem religionis, pietatisque ardor vos animaret. *Non vos discrevit tumulus, quos non discernebat affectus: non virtutum distantia dispares fecit, quos una religio fovebat.*

Non est facinorosus quispiam, teste S. Augustino, qui non sibi prius detrimentum inferat, quam alterum incommodo afficiat: eadem illorum est conditio, quæ ignis, qui nihil flamma sua corripit, nisi prior arserit. (a) *Nemo malus, qui non sibi prius noceat: sic esse putate quodamodo ignem, nisi ardeat, non incendit.*

S. Eucherius vanitatem magnitudinis humanæ bene describit, dicens: vidimus homines, quibus ab omnibus honor habebatur ob eximias dignitates, quas gerebant: vidimus eos largis proventibus, qua imperii fines porriguntur, fruentes. Omnia illis felicius, quam vel spe concipere poterant, cesserant, successu grandia sua consilia vicerant. (b) *Cupiditates successibus vicerant, rebus vota transcenderant.* Sed ubi nunc hodie

(a) In Psal. 34. (b) Epistol. ad Valer.

hodie felices hi, quos mundus adeo adoravit? quo omnis illorum gloria defluxit? sed de privatis duntaxat hominibus locutus sum: Maximi Reges nihilo feliciore sorte fruuntur: splendida palatia incoluerunt, quibus omnis mundi magnificentia collecta videbatur: vidimus eos in soliis auro & gemmis coruscantibus: illorum voluntas ut imperium a populis colebatur: illorum voces, ut leges sacræ, quasque violari nefas esset, adorabantur: apicem felicitatis, & gloriæ tenuerant. *Eorum voluntates jura hominum, eorum verba leges appellabantur.* Sed hominum nempe conditionem non excesserant: eorum magnitudo evanuit, illi ipsi e vita abierunt. Illa imperia usque adeo florentia, & a nostra ætate haud multum dissita jam prope inter fabulas numerantur: illud, quod tantam haud ita pridem magnificentiam spirabat, hodie minime reperire est. *Transiverunt ipsi tantarum opum Domini, recentium, inclytorumque regnorum apud nos jam quædam fabula est: omnia illa, quæ hic erant magna, modo jam nulla sunt.*

Testante S. Bernardo confessio nostrorum criminum non minus vana, quam

periculosa est, quando illud, quod nobis probri insidet, palam aperimus non ea causa, quod abjecte de nobis sentiamus, sed ut aliis præclaros de demissione nostra sensus instillemus. Nam ea demissione laudem aucupari, non virtutis indicium, sed certa ruina est. Humilis nullo in loco duci expetit, non tamen ideo æstimari ambit, gaudet, si se contemni videt, hoc uno superbus, quod laudes aspernetur. (a) *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnat.* Quid minus rationi congruum, quam in superbiæ instrumentum illud vertere, quod modestiam, demissionemque nostram alere debuerat? per hoc famam hominis virtuti apprime studentis quærere, quod impius credaris? insolitum plane superbiæ genus, sancti viri nomen impetrare non posse, nisi sceleratus videaris. *Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus.*

S. Hieronymus ingeniose describit historiam fœminæ innocentis, quæ accusata de adulterio tormentis crudelem

(a) Serm. 16. in Cantic.

lem in modum lacerata eſt, & ſepties gladio icta, quin tamen caput ei amputari poſſet. (a) Vide aliquot præclaræ deſcriptionis lineas. Horror carceris, ait, & tormentorum vis conterruerant juvenem, qui ut flagitii particeps accuſatus erat ea de cauſa, ut ſontem fœminam confiteretur; ſed illa intrepide judicibus ſuam conteſtata eſt innocentiam, quanto ſexu inferior, tanto virtute ultra conditionem ſuam evecta. *Sexu infirmior, virtute fortior.* Ut colligatas a tergo manus ad cœlum attollere non poterat, *Oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum*, & perfuſa lachrymis dixit: te DEUM, cujus ſcientiam nihil effugit, qui cordium abdita perſpecta habes, teſtem voco, non ideo me crimen, cujus rea agor abnuere, ne mori cogar, ſed ne peccato me obſtringam, ſi mendacium admitterem. *Non ideo me negare velle, ne peream; ſed ideo mentiri nolle, ne peccem.* Deinde mulier ſermones convertens ad juvenem, qui tormentis longius ferendis impar crimine eam oneravit: Infelix, ſi tu quidem e vita abire deſideras, cur duobus innocentibus mortem accerſis? *At tu miſer*

 homo

(a) Epiſt. 49.

hom. , si interire festinas , cur duos interimis inocentes? Mortem non deprecor, sed infamis, & adulterii rea perire merito recuso: porrigo collum carnifici, video sine terrore corruscantem gladium, qui caput amputabit: sed illæsam, quod solatium maximum, innocentiam meam tumulo inferam. Nihil in illum mors juris habet, qui ita ictum recipit, ut novam, melioremque auspicetur vitam. *Non moritur, quisquis sic victurus occiditur.* Invicta mulier inter illatas sibi pœnas perstitit. Conscientia innocentiæ dempsit suppliciis, quidquid alias illis crudele, dirumque inest. *Dum conscientiæ bono fruitur, vetuit circa se sævire tormenta.* Carnifex exhaustis viribus in crucianda fœmina prope defecerat, vixque locum novis tormentis, adeo uno fere vulnere horrebat fœmina, repererat. Ipsa crudelitas victa erat, dumque corpus, quod immaniter adeo laniarat, spectaret, suam crudelitatem horruerat. *Jam victa sævitia corpus, quod laniarat, horrebat.* In illud, quod carnifici, vires omnes in amputando capite frustra absumenti, fibula aurea, qua thorax supra humeros nectebatur, exciderit, & fœmina, ceu non de suo capite tum ageretur,

eum

eum monuerit, ut eam attolleret, ita loquitur Sanctus. Quæ est ista securitas? quæ magnanimitas? nullo metu percellitur imminente quantumvis morte; feralis ictus gaudio eam perfundit, & ceu non satis intrepidum suum animum eo contestaretur, quod nullo indicio timorem prodat, insuper novo beneficio carnificem suum afficit: *Quæ est ista securitas? impendentem non timet mortem, lætatur percussa, & ne parum esset, quod non formidabat interitum, præstat beneficium sævienti!* Dum carnifex ensem jugulo fœminæ admoveret, Sanctus exclamat: res insolita, & prioribus nunquam audita sæculis! gladius ad suum redivit capulum, & victus dominum suum respicere velut visus est, eidem insinuaturus, ferire sibi minime fas esse. *Ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum suum victus aspiciens confessus est, ferire se non posse.* Comparatio, qua subinde Sanctus hanc fœminam cum Susanna confert, admodum ingeniosa est. Non in illa minus, quam hac suam DEUS misericordiam comprobavit. Illa a judice absoluta est, ne gladio icta periret, hæc judicem per ipsum gladium absoluta condemnavit. *Illa liberata per judicem, ne iret ad gla-*

dium, hæc a judice damnata, absoluta per gladium est.

Paucula verba Tertulliani: (a) *DEUS de suo optimus, de nostro justus*, multarum cogitationum fertilia sunt, solemque exprimunt, qui virtute sua gratissimum lumen diffundit, & non alias producit fulmina, quam cum illi terra perniciosam materiem suppeditat.

S. Augustinus illustriorem reddit cogitationem Davidis de fortunæ vicissitudine: (b) Vidi impium eo usque elatum, quo homini fas est perringere; vidi illum cedros Libani animi tumore superantem, transivi, & non amplius videre eum mihi licuit, quin nec vestigium quidem, cui institerat, reperi. Ita nempe Domine, superbia tumidus dicto citius evanuit, nec illius, nec fortunæ illius quidquam est reliquum, ceu juxta fumum prætervectus fuisses. *Ecce non est iste, qui sic tumuerat, quomodo si transires juxta fumum.* Nam Prophetæ testimonio spectati magnis in hoc orbe dignitatibus fumo similes sunt, qui ad modum ejus, a quo elevatur, attollitur, & subinde dissipatur, nec vel ul-lum

(a) De Resur. carnis. (b) In Psal. 36.

lum ſui veſtigium aeri imprimit: ſed cum tranſieris, fumus poſt te erit. *Cum tranſieris, attende poſt te: poſt te enim fumus, ſi eſt ante te DEUS.*

Optime S. Bernardus Arnaldum Brixienſem adumbravit. Feciſſet utinam DEUS, ut tam bene de religione ſentiret, quam auſteram vitam ducit. Si ſcire cupitis, quis ſit Arnaldus, accipite: Homo eſt, vix quidquam delibans, dæmonis inſtar, qui una perdendarum animarum ſiti ardet. (a) *Utinam tam ſanæ eſſet doctrinæ, quam diſtrictæ eſt vitæ. Et ſi vultis ſcire: homo eſt, neque manducans, neque bibens, ſolo cum diabolo eſuriens, & ſitiens ſanguinem animarum.* Vagus oberrat, & dum populares ſuis artibus in exitium impellere non poteſt, exteros perdere non ceſſat, leonis inſtar rugitum edit, & nunquam non prædam veſtigat, inimicus crucis Chriſti, author diſcordiarum, ſchiſmatis incentor, perturbator quietis publicæ. Alio in loco ſic eum depingit: Homo eſt, qui in familiari uſu nihil niſi dulcedinem ſpirat, ſed doctrinam venenatam propinat, capite columbino allicit, cauda ſcorpionis enecat, quem Brixia genuit, aut magis e-

(a) Epiſt. 195.

vomuit, Roma horruit, Francia rejecit, Germania detestatur, Italia admittere abnuit. (a) *Cujus conversatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda scorpionis est, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere.*

Singulari quadam vi est cogitatio Salviani de contemptu virtutis inter Christianos. Qualis honor Christo habetur a Christianis, ubi pietas ipsa contemptui habetur? nam quanto quis ad majorem virtutem provehi conatur, tanto ille majori ludibrio, risuique Christianorum objicitur: ut fere quisque quadam ratione vitam sceleratam cogatur ducere, ne contemptu apud sceleratos laboret. (b) *Quantus in Christiano populo honor Christi est, ubi religio ignobilem facit! statim enim, ut quis melior esse tentaverit, deterioris abjectione calcatur, ac per hoc quodammodo omnes mali esse coguntur, ne viles habeantur.*

Ea est fœminarum indoles, ait S. Hieronymus, ut suo ductu mundum ament,

(a) Epist. 196. (b) Lib. 4. de Provid.

ament, & novimus esse fœminas spectatæ pudicitiæ, quæ non alteri præterquam sibi suo mundo probari cupiunt. (a) *Φιλόκοσμον genus fœmineum est, multasque etiam insignis pudicitiæ, quamvis nulli virorum, tamen sibi scimus ornari.* S. Chrysologus naturaliter, & tenere exprimit ea filii prodigi verba: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Ille qui dicit: surgam, in alium jam abiit hominem, lapsum, & conditionem suam agnovit. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Sed qua demum spe duceris, cum benevolentia te accipiendum? qua tandem fiducia conditiones tibi æquas ferendas autumas? Non aliis rationibus, non aliis legibus nitor, quam quod illum Patrem meum norim, excidi juribus, & concessionibus, quibus filii a Parentibus recreari solent: sed ille nihil bonitatis, paternæque teneritudinis amisit. (b) *Qua spe, qua fiducia? illa qua pater est. Ego perdidi, quod erat filii, ille, quod Patris est, non amisit.*

Quod dicit S. Augustinus de iis, qui in alios, quam oportet usus, *cor* suum vertunt, quam mira Divus apprehendendi vi, quantaque *cordis* teneri-

O 5

(a) Epist. 12. (b) Serm. 2.

neritudine fuerit, satis testatur. Amorem tuum innova, aquam, quæ in cloacam effluit, in hortum averte, mundi conditori tantum amorem, vivacitatemque impende, quantam olim mundo sacraveras. Non tibi imperatur, ne quid ames: id DEO displiceret; langueres sine amore, vitamque morti quam simillimam duceres, indignus vita, & infelix esses, si nullum amorem foveres, ama, & vide, cui tuum amorem impertias. (a) *Purga amorem tuum, aquam fluentem in cloacam converte ad hortum, quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Non vobis dicitur: nihil ametis: absit, pigri, mortui, detestandi, miseri eritis. Amate, sed quid ametis, videte.* Dicto hoc edocemur, exemplo Magdalenæ, & ipsius D. Augustini in eo verti mutationem vitæ, sanctimoniamque, ut amor alio transferatur, & qui mundo prius affectus impendebatur, DEO dicetur.

Laudem meretur dictum S. Hieronymi: vitia non nisi sub virtutum larva decipiunt. (b) *Vitia non decipiunt, nisi sub specie, umbraque virtutum.* Denotat

(a) In Psalm. 31. (b) Epist. 3.

notat Sanctus, quod, si vitia se nobis objicerent nativa sub specie, nemo, se iis abripi, passurus esset; nam propius inspecta sua sub figura tam deformia sunt, quam sub aliena, accitaque blandiuntur. Quo apud DEUM loco sint res, quæ hominum opinione modicæ ducuntur, non aliunde melius, quam ex his Salviani verbis intelligere licet. DEUS recepit, ea, quibus in hac vita nullum pretium inest, sua mercede in meliore illa, quæ nos manet, minime caritura esse. Nam DEUS res, quæ ad suum cultum referuntur, utut vilissimæ sint, nihilque illis fingi possit humilius, ad summum meritum extulit, propterea quod caracter, & fidei quasi sigillum eis impressum est. (a) *Tantum honoris cultui suo tribuit, ut aliquid esset illic per fidem, quod hic omnino nihil esset per vilitatem.* Salvianus indicare velle videtur, res suo quantumvis merito nulla æstimatione dignas similes monetæ esse, quæ valorem suum a Principis effigie, quam impressam gerit, mutuatur, & ab ea, utut vili alioquin e materie procusa sit, pretium suum nanciscitur.

Quid

(a) Libri 3. ad Eccles.

Quid mundi favorem aucupamur, inquit S. Paulinus, qui nos apud DEUM in odium adducit? Studeamus displicere iis, quibus DEUS displicet, gratulemur nobis, si iis minus probemur. (a) *Quo nobis gratiam mundi, quae est odium Christi: displiceamus ergo his, & gratulemur iisdem nos displicere, quibus & DEUS displicet.* Eodem spiritu actus Sanctus alias dicit: Felix injuria, quam cum DEO partimur! crede mihi, non est, quod magis vereamur, quam amari ab iis, quorum gratia nulla virtutum commendatione obtinetur. (b) *O beata injuria displicere cum Christo! magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur.*

Cogitatio S. Zenonis Veronensis loquentis de tribus pueris in fornacem conjectis, invictam Martyrum constantiam probat. Suppliciorum, priusquam tollerentur, horrore nullo percelli, martyrii pars censeri merito potest. (c) *Martyrii quodammodo pars est, Martyres non horruisse supplicium.* Idem Pater, postquam dixit, naturam elementorum per fidem subigi, & ea quantumvis re-

pug-

(a) Epist. 6. (b) Epist. 29. (c) De Daniel. serm. 1.

pugnantia ad obſequium credentium flecti, acute adjungit: non jam aſpectus vel ſæviſſimorum ſuppliciorum nos perterreat: nihil enim pœnarum metuendum eſt, cum Martyres ignibus addicti non moriantur, & vita illorum ignibus, qui eos abſumere debebant, velut inſultet. (a) *Non enim ulla eſt metuenda jam pœna, cum incenſorum ſuperſtes inſultet ignibus vita.*

Admiraris eos, dicit S. Auguſtinus, qui per vitam tantis dignitatibus fruuntur: ſpecta morientes: quid e vita abeuntes eos comitatur? late diffuſas terras poſſident: ſplendidum comitatum, magnificas ædes, veſteſque poſſident: at nonne hæc morientes relinquunt? (b) *Vides viventem, cogita morientem, quid hic habeat, intende; quid ſecum tollat, attende.* An non Evangelium nos docet, divitem illum epulonem purpura, & ſindone veſtitum in inferno viſum fuiſſe? anne in inferno, dum ſtillam aquæ ſitim levaturus expetiit, iis abundabat, quibus menſam olim ſuam, ſplendida agens convivia, oneraverat? *Nunquid ille dives cum boloſericis, & byſſinis tegumentis apparebat*

(a) De Daniele ſerm. 3. (b) In Pſal. 48.

bat in igne? nunquid qualis erat in epulis, talis erat & apud inferos, cum sitiret? Corpus quidem divitis tenuissimis linteis involvitur, unguentis conditur, splendida tumba reconditur, sed hæc ornamenta, isti honores cadaveri, quod sensu caret, impenduntur, ad animam nihil inde utilitatis redit: quid illi utilitatis confert, si cadaver pretioso linteo tectum, & exquisitis odoribus perfusum est, cum anima flammis correpta dirissimis suppliciis torquetur? *Quid illi prodest, quia corpus jacet in cinnamomis, involutum pretiosis linteis? ornat corpus, torquetur spiritus.*

Quo usque mulierum stultitia in conquirendo ornatu pertingat, non alibi melius, quam ex iis Divi Ambrosii verbis perspici potest: placent fœminis suæ catenæ, modo eæ auro rutilent: sub oneribus se gemere non putant, si modo onera exaggerati sint pretii, vulnera non refugiunt, modo aurum inseratur auribus, & gemmæ eas distendant. (a) *Delectantur in compedibus mulieres, modo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sint: delectant & vulnera, ut aurum auribus inseratur, & mar-*

(a) **De Nabuthe Israelita.**

margaritæ dependeant. Pondus gemmarum non minus iis oneri est, splendidæ vestes non defendunt eas a frigore, sudant sub gemmis, algent sub serico, satisque vel in hoc solatii habent, quod ea vanitatis instrumenta magno pretio comparata norint: luxus addit ei gratiam, quod natura horret. *Sud tur in gemmis, algetur in sericis, tamen pretia juvant, & quæ natura aversatur, avaritia commendat.* Non abnuo, prosequitur Sanctus, inesse gemmis aliquid, quod oculos afficit, sed qualiscunque demum is splendor sit, a lapide proficiscitur. *Non abnuo, gratum quemdam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum.* Cæterum ipsi hi lapides, quibus ars obluctante natura splendorem conciliat, nos quadam ratione edocent, majorem adhibendam industriam, ut asperitas, qua animus noster horret, expoliatur, quam ut lapides lævigentur. *Et ipsi admonent contra naturam expoliti, ut saxorum deponerent asperitatem, rigorem mentis magis expoliendum esse, quam lapidum.*

S. Hieronymus omnem suam eloquentiam exhausisse videtur in elogio illustris Matronæ Paulæ, quod Eusto-

chio

chio filiæ dignæ tanta Matre inscripsit. Postquam ipso in aditu dixit, se, si vel omnia corporis sui membra in linguas abirent, nihil tamen, quod virtutem Paulæ æquare posset, allaturum, ita prosequitur: Natalium claritudini novum splendorem virtutibus suis addidit, divitiis quondam omnium in se convertit oculos, sed paupertate, quam Numinis causa ultro delegit, præ quam ante magis inclaruit. Bethlehem prætulit Romæ, & palatiis auro fulgentibus se abdicavit, ut luteas casas incoleret. (a) *Nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate: potens quondam divitiis, sed nunc paupertate Christi insignior. Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit.* Non amissæ ejus jactura tangimur: quin potius DEO grates referrimus, cujus munere eam possedimus, imo possidemus; in DEI enim conspectu nihil non vivit, & quidquid ad eum revertitur, suam inter familiam numerat. *Non mœremus, quod talem amisimus, sed gratias agimus, quod habuimus, imo habemus: DEO enim vivunt omnia, & quidquid revertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur.* Quam Romæ degentem

(a) Epist. 27.

tem nullus extra Romam noverat, eam in Bethlehem abditam Romani non minus quam Barbari mirati sunt. *Quam Romæ habitantem nullus extra Romam noverat, latentem in Bethlehem & barbara, & Romana terra miratur.* Quis enim populus, qui ad sacra loca non invisit? & quis hominum fuit, qui in sacris iis locis quid inter homines magis, quam Paulam stuperet? *Quis autem in sanctis locis præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, invenit?* Oculis se hominum subduxit, sed quo magis latebras captabat, eo majorem utut invita, famam est consecuta: fugiens gloriam, eam meruit, eam nempe gloriam, quæ umbræ instar consectatur corpora, & non minus eos complectitur, qui eam contemnunt, quam ab iis declinat, qui eam aucupantur. *Latebat & non latebat, fugiendo gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetiores sui deserens appetit contemptores.* S. Hieronymus Natales Paulæ extollit, quæ a Gracchis, & Scipionibus ortum duxit, Marito ad Æneam, Juliumque genus referente, quibus commemoratis adjungit: Non hæc eo nomine adduco, ceu fortuita naturæ, & fortunæ munera magni

ni ab iis facienda censerem, qui iis abundant, sed quia admiranda sunt in illis, qui ea contemptui habent. *Et hæc dicimus, non quod habentibus grandia sint, sed quod contemnentibus mirabilia.* Homines, qui mundi res principe loco reponunt, admirantur eos, quos nobilitas ultra vulgus attollit: nos contra laudamus eos, qui amore Numinis id discrimen dignitatum aspernantur; & evenit in dies, ut homines titulis his, dignitatibusque ornatos non admodum magni faciamus, æstimemus contra, qui iis ultro se expoliant. *Quos habentes parvi pendimus, si habere noluerint, prædicamus.* Mariti mortem tot lachrymis prosecuta est, ut illum non multo post consecutura videretur. Numinis obsequio ita se mancipavit, ut mariti mortem in votis habuisse videretur: *Ita eum planxit, ut prope ipsa moreretur: ita se convertit ad Domini servitutem, ut ejus mortem videretur optasse.* Tota urbe pauperes tanta cura, & sancta æmulatione conquisivit, ut grande damnum perpessam se crederet, si quis æger, aut famelicus aliena ope recreatus fuisset. *Damnum putabat, si quispiam debilis, & esuriens cibo sustentaretur alterius.* Suis prolibus subtraxit, ut vestiret mem-

bra

bra Christi, dumque hæ quererentur, illa reposuit, familiæ se suæ hæreditatem pinquiorem multo, Christi scilicet misericordiam transscribere. *Majorem se eis hæreditatem, Christi misericordiam dimittere loquebatur.* Salutationes, & officia, quibus ob nascendi conditionem colebatur, ægre ferebat: honores, quibus cumulabatur, in mœrorem eam conjecerunt, nihil non egit, ut laudibus, quibus obruebatur, modum constitueret. *Mœrebat honore suo, & ora laudantium declinare, ac fugere festinabat.* Amor solitudinis e memoria illi domum, proles, familiam, opes, verbo omnia, quæ illius quidem erant, erasit. Nunquam non desideriis suis in eremum ferebatur, prope confecta desiderio solitudinis, & ad deserta Antoniorum, & Paulorum aspirans. *Sola, si dici potest, & incomitata ad eremum Antoniorum, & Paulorum pergere gestiebat.* Descriptio apparatuum itineris in Palæstinam suscepti spiritu, & affectu plena est: Concessit ad littus, dicit S. Hieronymus, deducta a fratre, cognatis, prolibusque, quæ Matrem optimam a constituo itinere absterrere conabantur. Tensa jam erant vela, navis e portu progredi parabat. Filiolus To-

xotus manus sustulit lugubres questus fundens. Ruffina nubilis jam non nisi gemitus fundebat, lachrymis vocem omnem intercludentibus, facundis unice lachrymis Paulam rogabat, moras eo usque necteret, dum matrimonio juncta esset: sed Paula, quin vel ulla illi gutta proliceretur, oculos ad cœlum levabat, amorem maternum eo, quo in DEUM ferebatur, superans: Matrem se esse prope dedidicerat, ut ne a Numinis servitio impediretur: emota pene illius viscera erant, sibi prope erepta supremæ luctæ speciem velut aliquam subierat, hac in re majori admiratione digna, quod Matres omnes, quæ tenerrimo in proles suas affectu sunt, nosset vincere. *Nesciebat se Matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi a suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem.* Quando quis captivus abducitur, nihil durius patri, matrive accidit, quam quod a suis avellantur prolibus. Hanc viva fides supra naturæ jura extulit: sed minora ejus meritis dixi: Paula non sine ardore hanc separationem desideravit, cum gaudio tulit, majore, quo in Numen age-

 batur,

batur, amore compulſa, ut prolium ſuarum amorem proculcaret. In ſola Euſtochio, quæ itineris ſe comitem præbuit, conquievit, in hac una omnes, quas fecerat jacturas, ſarſit. *Hoc contra jura naturæ plena fides patiebatur: imo gaudens animus appetebat. In ſola Euſtochio acquieſcebat.* Ubi navis altum jam tenuit, quotquot eam conſcenderant, littus reſpiciebant tanto ardentius, quanto ab eo avellebantur longius: illa contra oculos avertit metuens, ne quid in eos incurreret, quod ſine dolore aſpicere non poſſet. Palam fateri oportet, nunquam matrem fuiſſe, quæ perinde proles ſuas dilexit: omnia in eas, priusquam diſcederet, erogavit: hæreditate ſe omni abdicavit, hæreditatem tanto certius in cœlo aditura. *Exhæredans ſe in terra, ut hæreditatem inveniret in cœlo.* Ardore ſancta loca videndi abrepta alis velut fidei evolabat: utut navis aſpirantibus ventis ferretur, tamen eos ut lentos increpabat: venti parum ſuo munere fungi ei videbantur, & quantacunque diligentia in accelerando curſu ejus votis non reſpondebat. *Sumptis fidei alis ſancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, & omnis pigra velocitas.* Ut ſacra loca tenuit, cuncta tanto fer-

 vore,

vore, ardoreque lustravit, ut a primis, quæ occurrebant, avelli se passura non fuisset, nisi alia quoque quam velocissime colendi sancto desiderio exarsisset. *Cuncta loca tanto ardore, ac studio circumivit, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci.* Tantam lachrymarum vim ob leviores noxas profundit, ut gravissimorum eam criminum ream quis credere possit. *Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Quando nos illam monebamus: parceret oculis suis, eosque sacrarum literarum lectioni servaret, illa reposuit: æquum est, meis lachrymis defœdari vultum illum, quem contra, quam DEI præceptum tulit, stibio pinxi. Quæ sæculo, & marito placui, uni nunc Numini probari desidero. *Turpanda est facies, quam contra DEI præceptum purpurisso, & cerussa sæpe depinxi. Quæ viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.* Non ambivit familiarem eorum usum, quos mundus spectatos habet, neminem tamen etiam aspernabatur eorum, qui eminentes fortuna gloriam quærebant. *Non appetebat potentes, nec tamen superbos & gloriolam quærentes fastidio despiciebat.* Pauperes

stipe

ſtipe recreabat, divites ſalutis monitis imbuebat. Sola liberalitas erat, in qua modum non tenebat. *Liberalitas ſola excedebat modum.* Ne in morbis quidem paulo clementius ſe habebat, in eo ſolum ab æquabili, quem tenebat, agendi modo receſſit, quod ſuavitatem aliis, ſibi unice rigorem ſervaret. *In eo inæqualis videbatur, quod in aliis clementiam, in ſe duritiam commutabat.* Poſt omnes has laudes novum laudandi genus invenit Sanctus palam profeſſus, non niſi ea, quæ veritati plane congruunt, ſe de Heroina ſua edicere: teſtem voco Chriſtum, nihil a me inventum, nihil declamatorum more additum, ſed res duntaxat, quæ cum veritate congruunt, commemoratas fuiſſe, ut Chriſtiani loquentis de Chriſtiana munus eſt: Scripſi Hiſtoriam, non Panegyrim; eæ enim Paulæ virtutes erant, ut illius vitia inter virtutes aliorum merito referri poſſent. *Teſtor JESUM, me nihil fingere, ſed quaſi Chriſtianum de Chriſtiana, quæ ſunt vera, proferre, id eſt hiſtoriam ſcribere, non Panegyricum, & illius vitia aliorum eſſe virtutes.* Loquens dein de morte Paulæ adjungit: ad illius exequias ingentem hominum vim ex omnibus Palæſtinæ urbibus

bibus confluxisse, ab eremicolis solitudines, a Virginibus claustra sua deserta fuisse, quod impium ducerent, nisi supremis officiis tam sanctam fœminam prosequerentur. *Sacrilegum putabant, qui non tali fœminæ ultimum reddidisset officium.*

S. Ambrosius enarrans apparatus, qui struendo magno convivio præmitti solebant, jucunde dicit: non epulas, sed pugnam, aut carnificinam apparari crederes, usque adeo omnia sanguine redundant. (a) *Non coquinam, sed carnificinam putes, prælium geri, non prandium curari, ita sanguine omnia natant.*

Alias idem Pater magna spiritus vehementia invehitur in convivia divitum: quam multi homines vita spoliantur, ut ea, quæ vestro palato arrident, apparentur? vestra fames parabilibus facile alimentis expleri impatiens, intemperantia vestra quam multis hominibus feralis est? (b) *Quanti necantur, ut vobis, quod delectat, paretur? Funesta fames vestra, funesta luxuries.* Hic mensæ vestræ piscem, aut ostrea

(a) De Elia cap. 59. (b) De Nabuth. Israelit. cap. 5.

ostrea conquirens mersus est, iste sæviente maxime frigore venans obriguit. Dives erat, qui in mensam caput Joannis Baptistæ inferri fecit, & non alium, quo saltatricem pro merito remuneraretur, modum invenit, quam ut pauperem de vita deturbaret. *Aliud, unde saltatrici præmium solveret, non invenerat, nisi ut pauperem juberet occidi.*

S. Augustinus jucunde convincit eos, qui non alia, quam quæ oculis suis usurpant, credere volunt. Non video, ait vitæ solutæ sectator, quomodo possim fidem adhibere. Respondet S. Augustinus: anne tuam animam spectas, nihil præter corpus tuum licet cernere, quin ergo tumularis? responsum hoc miratur ille, & ita oggerit: nosti me nondum mortuum, sed superstitem esse? sed unde novi te vivere, cum tuam tamen animam mihi spectare minime integrum sit? respondes mihi, nosti id, quia loquor, quia ambulo, quia munus meum obeo. Delire! vis, ut vivere te credam, quod corpus tuum moveri sentiam, & tu conditorem ex operibus creaturæ cognoscere abnuis? *Stulte, ex operibus corporis agnosco viven-*

 tem:

tem: ex operibus creaturæ non potes agnoſcere creatorem?

Quod ſanctus Cyprianus de idololatria dicit, ingenioſum eſt: illa, hoc Sancto teſte mater omnium ſpectaculorum, ludorumque eſt, ad involvendos laqueis Chriſtianos, illa blanditur, & corrumpit rebus gratis, quæ auribus, & oculis objiciuntur: eſt artificio dæmonis inventa, qui gnarus idololatriam horrori futuram, ſi nativa ſua in ſpecie occureret, illam ſpectaculis, aliisque gaudiis immiſcuit, ut amabilem eam redderet. (a) *Quia ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari.*

Ambitio S. Bernardo teſte, mater eſt hypocriſis; tenebras amat, & lucem refugit, ad ſublimia fertur, cavet tamen, ne aliis hæc illius conſilia pateant: neque mirum; non enim, quæ conſtituit, alia ratione conſequi poteſt, niſi ſe hominum oculis ſubducat: & certe, quo quis ardentius gloriam conſectatur, eo illam minus obtinet, vel hac de cauſa, quod ei inhiare videatur. Denique quid minus ad gloriam facit, quam

(a) De Spectaculis.

quam cupiditatem ejus prodere cumprimis inter Christi Ministros? (a) *Videt omne sublime, sed videri ipsa refugit, nec mirum: optato namque necesse est, careat, nisi caveat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. Quid denique tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi, præsertim inter Episcopos?* Eodem in loco idem Pater adjungit: non adeo frontem omnem posuerunt homines, ut ambitionem, cum nullo fuco ornata oculis se objicit, honorent: *Non adeo perit pudor a mortalibus, ut nuda, impudensque vel ab ipsis honoretur ambitio:* præsertim in sene, ut presbytero, quem puerilis hæc vanitas tanto minus decet, quanto plus munus, & ætas sapientiæ, sanctimoniæque ab illo deposcit. Hoc loco non prætereunda est elegans alia ejusdem Sancti cogitatio de ambitione. Ambitio tormentum, & crux ambitiosorum: quomodo evenit, ut quamvis omnes homines torqueas, omnibus tamen proberis, & vel illis ipsis, quos crucias? (b) *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places?*

Minu-

(a) Epist. 126. (b) De Consid. lib. 3. cap. 1.

Minutius Felix de Atheis, & vitæ laxioris asseclis, quos non raro opibus, honoribusque cumulatos videmus, dicit: Miseri! non aliam ob causum in sublime sunt elati, nisi ut altius excidant. Victimæ sunt, quæ saginantur, & coronantur, ut enecentur. (a) *Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius, ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur.*

S. Presbyter Massiliensis eloquentiæ suæ illustre præbet specimen, dum Christianorum vitia perstringit. Quo apud nos in loco fides Christiana, quam profitemur? eam duntaxat eo fine admittere videmur, ut fœdiora crimina perpetremus. (b) *Ubi est Christianitas nostra, qui ad hoc tantummodo Sacramentum salutis accipimus, ut majore postea prævaricationis scelere peccemus?* Ab ara receditur, ut theatro vacari possit, vana, & ridicula spectacula augustissimis mysteriis præferuntur: Minister Christi, dispensator verbi divini deseritur, ut histrio audiatur: Omnia vel minima quævis, vixque digna, quæ nominentur, amamus, æstimamus: solus DEUS est, quem amicum, an ho-

stem

(a) In Octav. (b) Lib. 6. de Provid.

ſtem habeamus, parum angimur, nihilique facimus. *Omnia amamus, omnia colimus. Solus nobis in comparatione omnium DEUS vilis eſt.* Prius jam de Barbaris, & Idololatris dixit Salvianus, eos cum Chriſtianis conferens: an non infideles hi oggerere Chriſtianis poterunt, ubi eſt religio, quam profitentur? ubi præcepta, quæ illos ad piam, & inſontem vitam ducendam obſtringunt? legunt evangelium, & vitam impudicam agunt, audiunt Apoſtolos, & temulentia infames ſunt: ſequuntur Chriſtum, & alienis bonis imminent, vitam improbam, & alienam a ſancta ſua lege ducunt. (a) *Ubi eſt lex Catholica, quam credunt? ubi ſunt pietatis, & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt, Apoſtolos audiunt, & inebriantur.* Hæc non Ethnicis, at Chriſtianis jure objici poſſunt. De ſecta bona, an improba ſit, ex Sequacium vita metiendum eſt: JESU Chriſto probrum infertur, & lex illius omnium maledictis per vitam facinoroſorum Chriſtianorum objicitur. *In nobis Chriſtus patitur opprobrium: in nobis patitur lex Chriſtiana maledictum.* Si lex illorum (ita infideles loquuntur)

(a) Lib. 4. de Prov.

æqua imperaret, vitam & ipsi castigatam agerent; corrupti ipsorum mores satis produnt, illorum Prophetas non nisi libertatem, dissolutionemque annunciasse, illorum Apostolos corruptæ doctrinæ authores fuisse, & per evangelia, quæ legunt, ea quæ perpetrant, crimina edoceri: vitam ad Sanctimoniam exigerent, si Christus regulas illis melioris vitæ præscripsisset: nam qui fieri possit, ut Magister sanctus non nisi sceleribus perditos discipulos numeraret? Vide, ut vita nostra ipsi DEO opprobrio sit, cujus tamen cultores nos venditamus: sed vel hinc etiam cognosce, eo nomine malitiam Christianorum tanto magis augeri, quanto pluribus nominibus ipsi ad vitam sancte agendam obstricti sunt: sanctum enim nomen, quod gerunt, & a quo aberrant, atrocioris eos delicti convincit. *Et ideo hoc ipso Christiani deteriores sunt, quia meliores esse deberent. Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat, & reatus impii est pium nomen.*

S. Augustinus admirationem meretur iis in materiis, quæ voluntatem, affectionesque spectant. Varia sunt, qui-

bus homines inhiant, cumque ea demum, quæ in votis habuerant, consecuti sunt, felices sibi videntur: cum tamen fere felix non idem est censendus, qui eo, quod amat, fruitur, sed qui amat, quod merito amorem vindicat. Multorum conditio funestior est, dum possident, quo desideriis suis ferebantur, quam si eo carerent. (a) *Vere felix, non si id habet, quod amat, sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quam carendo.* Miseri sunt, quod amorem suum rebus pessimis addicant, multo tamen ipso usu earundem miseriores. Beneficium nobis præstat DEUS, cum id negat, quod præter illius voluntatis ordinem amamus: sed punit, & acerrimam vindictam sumit, cum votis nostris subscribit. *Propitius DEUS, cum male amamus, negat, quod amamus, iratus autem dat amanti, quod male amat.* S. Hieronymus mundum cum mari conferens dicit: Nolite firmam spem in præsenti rerum statu reponere, securitatem vobis nullam spondete. Quamvis mare hoc aliquando pacatum stagni instar jaceat, quantumvis aspirans zephyrus non nisi leniter summos fluctus commoveat, æqua-

(a) In Psal. 26.

æqualis tamen hæc, blandeque procumbens planities tegit ſcopulos plenos. Hæc ipſa tranquillitas tempeſtatem minatur. (a) *Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet ſumma jacenti clementi ſpiritu terga criſpentur, magnos hic campus montes habet, tranquillitas iſta tempeſtas eſt.*

Laboratis aliquanto tempore, dicit S. Auguſtinus, ſed perpetua labori requies reſpondebit, veſter labor modico definitur tempore, felicitas veſtra, nullos intra limites cogetur, adverſa veſtra modicum intra tempus abſolvuntur, gaudium finem nullum ſortietur. Si conſtantia veſtra in adverſis nutat, oculos in Calvarium montem attollite, perpendite, quid JESUS, utut nullius delicti reus, vos in libertatem aſſerturus pertulerit. Quantumcunque in vos adverſitatum ingruat, nondum iis, quibus ille, impetiti eſtis injuriis, nondum adacti eſtis ad illa flagella, ad illam probri plenam veſtem, ad illam ſpineam coronam, nondum in illam crucem acti eſtis, poſtquam illa non amplius inter hominum ſupplicia uſurpatur:

(a) Epiſt. 1.

a morte DEI inter inſtrumenta gloriæ adhibetur, non jam tormentis deſervit, in regnantum capitibus coruſcat. Si Chriſtus tantum honoris ſuæ mortis inſtrumentis addidit, quanto non majore cumulabit fideles ſuos? (a) *Ad illam poſtremo crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani ſublata eſt. Honorata eſt, & finita eſt. Finita eſt in pœna, manet in gloria. A locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid ſervat fidelibus ſuis.*

Cum animum ad ea præmia adverteris, idem Pater inquit, quæ te manent, labores, qui nunc exhauriendi tibi ſunt, modici videbuntur: miraberis tantillo labori magnam adeo remunerationem reſpondere. Nam congruum erat, ut æterna requies æterno labore redimeretur: (b) *Cum attenderis, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris. Miraberis tantum dari pro tantillo labore. Nam utique pro æterna requie æternus labor ſubeundus erat.* Congruum erat, ut obtenturus felicitatem nullis limitibus circumſcriptam, laboribus tota æternitate fatigareris. At

(a) In Pſal. 36.

ſi quidem mala te æternum premerent, qui fieri poſſet, ut æternæ felicitatis compos reddereris? Adverſa tua certo tempore definiri oportet, ut ad perpetuam felicitatem eveharis. Sed miſeriæ, quæ ad felicitatem æternam faciunt, longius produci poſſunt? Sed vix quo in loco mille anni, vix centum annorum millia cenſeri poſſunt, ſi cum æternitate in comparationem adducantur. Nulla juſta comparatio finitum inter, infinitumque conſtitui poteſt, & tamen DEUS voluit, ut quæ toleranda ſunt nobis, non tempore modo, ſed modico etiam arctarentur. Vel diutiſſime producta hominis vita haud admodum diuturna videri poteſt, ſi vita omni miſeriæ, & dolores ſe mutuo exciperent, ſi ad mortem uſque in carcere obſoleſceres, aut ergaſtulo aliquo, ſi nullo non tempore ea omnia tolerares, quæ fames, ſitisque aſpera habent, merito tamen dicendum eſſet, modicum, vixque dignum, quod memoretur, a te toleratum fuiſſe.

S. Paulinus nervoſe, Jobum, dicit, fimeto inſidentem nullam amplius aggreſſionem tolerandam habuiſſe; abjecta conditio, ad quam redactus erat, nihil reliquum ei fecit, quod invidiam com-

commoveret: qui enim pristino suo splendore exutus est, nullo in metu versatur amplius, ne eo excidat, habet tamen spem reliquam amissum locum recuperandi. (a) *Consumpserat enim tentationis invidiam humilitate perfecta; quia in fimo sedens, unde cadat, non habet, sed habet, unde resurgat.*

Conferta est eloquentia ea epistolæ pars, in qua S. Hieronymus illata mentione extremi judicii Heliodorum hortatur ad vitam a sæculi strepitu remotam, austeramque ducendam. Nimium deliciarum petis, mi frater, si mundi gaudia cum æternis cupis conjungere. (b) *Delicatus es frater, si & hic vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo.* Veniet dies, veniet dies ille, quo corpus tuum posita corruptione ad immortalem vitam redibit. Tum insonante tuba terra cum incolis suis terrore succutietur, tuque gaudio difflues. Adventante Domino, terribili illo Judice, qui vivos non minus, quam mortuos ad tribunal suum evocabit, orbis hic in lugubres clamores solvetur. Regnantes, quorum olim vel nomen terrori fuit, tum comitatu omni destituti, pleni

(a) Epist. 01. (b) Epist. 1.

terrore ſententiam Numinis opperientur. *Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet. Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Plato ibi ſuis ſtipatus diſcipulis fatuus habebitur; Ariſtoteles ibi ſua argumentandi vi judicii ſeveritatem non effugiet. *Adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis; Ariſtotelis argumenta non proderunt.* Sed tu pauper, & rudis gaudio exultans dices: vide DEUM, qui mea cauſa in crucem eſt actus, vide meum Judicem, qui pannis eſt involutus, qui communes omnibus infantibus planctus in præſepi edidit: iſte eſt filius vilis opificis, & pauperis fœminæ, quæ indies manuum labore victitavit: hic, DEUS quantumvis eſſet, ut hominis iram effugeret, matris ſinu, brachiisque in Ægyptum eſt delatus: iſti Coronæ loco ſpinæ in caput ſunt impreſſæ: hic in probrum vili purpuræ lacinia eſt coopertus: hic eſt Samaritanus, hic Magus, qui unius mali genii virtute mira illa, naturæ viribus ſuperiora patravit. Vide, Judæe manus, quas transverberaſti, cerne latus, Romane, quod aperuiſti: inſpice corpus, quod per noctem a diſcipulis raptum dixiſti. *Cerne manus, Judæe, quas fixeras, cerne latus Romane,*

ne,

ne, quod foderas, videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Accipe, mi frater, de quo pro eo, quo in te sum amore, commonendum te duxi, ut dies aliquando testimonio tibi sit, usuque eorum bonorum cumulet, quorum nunc causa laboratur.

S. Maximus perstringit licentiam, & furores, quibus dum viveret, Kalendæ Januariæ celebrari solebant. Vir oblitus sui sexus fœminæ vultum, mores, mollitiem sumit, ceu vero illum sexus sui pœniteret. (a) *Totum se frangit in fœminam, tantoque illud ambitu atque arte regit, quasi pœniteat illum esse, quod vir est.* Qualis furor! qualis animi exerratio! homines DEI effictos manibus, voluptati ducere, quod figuras animalium, sævarum belluarum sumere liceat: non est res, quæ majus fastidium moveat, non est, quod stultius fingi possit, quam si videtur, ut homines vultum suum iis omnibus contaminent, quæ vel turpia, horribiliaque animo licet concipere, illum nempe vultum, quem DEUS ipse suis ornavit manibus, omnibusque naturæ gratiis perfudit.

(a) De Kal. Jan. Increpat.

Inter præclariora Divi Eucherii monumenta reponendum est illud, quod ad Valerianum scribit. Abrumpamus omne cum mundo commercium, cum illo mundo, cujus in fide nemo tuto conquiescit, qui & potentibus, & humilibus illudit. Qui abjecta conditione sunt, magis opprimuntur, & ipsa abjectio ruinam illorum accelerat: qui in sublimi positi sunt, assiduo nutant, metuuntque, ne ipso suo fastigio opprimantur. Omnes hominum conditiones perquire: nulla tibi uspiam quietis spes affulget, non si abjectus fueris, non si eminueris: utraque conditio multis patet infortuniis, humilis calumniis, paulo elatior invidiæ obnoxia est. (a) *Repudiemus mundi parum fidi vitam utrobique suspectam, apud quam alta perinde atque humilia parum tuta sunt: obteruntur humilitate depressa, nutant celsa fastigio. Pone, quem volueris, statum: non apud infima, non apud summa requiescitur, gravem turbinis sortem utraque conditio non effugit: subjacet contumeliæ minor, major invidiæ.*

S. Hieronymus pauculis verbis amplissimum Tito Livio elogium concinnat:

(a) Epist. de Contemp. mundi ad Valerianum.

nat: postquam dixit, primæ dignitatis homines ex intima Hispania, & Galliæ finitibus advenisse, ut celebrem illum Historicum viderent, cujus stylus cultus adeo, adeo fluidus, adeo ad naturam accedens erat, adjungit: Illos, quos Romana magnificentia ad visendam urbem allicere non poterat, fama unius hominis accivit. Licuit tum rem superioribus sæculis nunquam auditam videre, exteros nempe in caput urbium advenisse, & magnificam illam urbem admiratos, aliud tamen ipsa in urbe quæsivisse, quod præter Romam mirarentur. (a) *Quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingressi aliud extra urbem quærerent.*

Quod S. Bernardus scribit ad sacram DEO Virginem, quo illi suadet, ne suo e monasterio excedat, est ex eo cogitationum genere, quæ non minus solidæ, quam amœnæ sunt. Erat hæc Virgo ex earum numero, quæ non contenta sanctimonia statui conveniente devotionem justos fere ultra limites provehere, & vasta eremo se abdere, aut magis vi-

(a) Epist. 84.

æqualis tamen hæc, blandeque procumbens planities tegit ſcopulos plenos. Hæc ipſa tranquillitas tempeſtatem minatur. (a) *Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet ſumma jacenti clementi ſpiritu terga criſpentur, magnos hic campus montes habet, tranquillitas iſta tempeſtas eſt.*

Laboratis aliquanto tempore, dicit S. Auguſtinus, ſed perpetua labori requies reſpondebit, veſter labor modico definitur tempore, felicitas veſtra, nullos intra limites cogetur, adverſa veſtra modicum intra tempus abſolvuntur, gaudium finem nullum ſortietur. Si conſtantia veſtra in adverſis nutat, oculos in Calvarium montem attollite, perpendite, quid JESUS, utut nullius delicti reus, vos in libertatem aſſerturus pertulerit. Quantumcunque in vos adverſitatum ingruat, nondum iis, quibus ille, impetiti eſtis injuriis, nondum adacti eſtis ad illa flagella, ad illam probri plenam veſtem, ad illam ſpineam coronam, nondum in illam crucem acti eſtis, poſtquam illa non amplius inter hominum ſupplicia uſurpatur:

(a) Epiſt. 1.

a morte DEI inter instrumenta gloriæ adhibetur, non jam tormentis deservit, in regnantum capitibus coruscat. Si Christus tantum honoris suæ mortis instrumentis addidit, quanto non majore cumulabit fideles suos? (a) *Ad illam postremo crucem non pervenies, quia jam & de pæna generis humani sublata est. Honorata est, & finita est. Finita est in pæna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pænis suis, quid servat fidelibus suis.*

Cum animum ad ea præmia adverteris, idem Pater inquit, quæ te manent, labores, qui nunc exhauriendi tibi sunt, modici videbuntur: miraberis tantillo labori magnam adeo remunerationem respondere. Nam congruum erat, ut æterna requies æterno labore redimeretur: (b) *Cum attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris. Miraberis tantum dari pro tantillo labore. Nam utique pro æterna requie æternus labor subeundus erat.* Congruum erat, ut obtenturus felicitatem nullis limitibus circumscriptam, laboribus tota æternitate fatigareris. At

q si

(a) In Psal. 36.

ſi quidem mala te æternum premerent, qui fieri poſſet, ut æternæ felicitatis compos redderetis? Adverſa tua certo tempore definiri oportet, ut ad perpetuam felicitatem eveharis. Sed miſeriæ, quæ ad felicitatem æternam faciunt, longius produci poſſunt? Sed vix quo in loco mille anni, vix centum annorum millia cenſeri poſſunt, ſi cum æternitate in comparationem adducantur. Nulla juſta comparatio finitum inter, infinitumque conſtitui poteſt, & tamen DEUS voluit, ut quæ toleranda ſunt nobis, non tempore modo, ſed modico etiam arctarentur. Vel diutiſſime producta hominis vita haud admodum diuturna videri poteſt, ſi vita omni miſeriæ, & dolores ſe mutuo exciperent, ſi ad mortem uſque in carcere obſoleſceres, aut ergaſtulo aliquo, ſi nullo non tempore ea omnia tolerares, quæ fames, ſitisque aſpera habent, merito tamen dicendum eſſet, modicum, vixque dignum, quod memoretur, a te toleratum fuiſſe.

S. Paulinus nervoſe, Jobum, dicit, fimeto inſidentem nullam amplius aggreſſionem tolerandam habuiſſe; abjecta conditio, ad quam redactus erat, nihil reliquum ei fecit, quod invidiam

com-

commoveret: qui enim priſtino ſuo ſplendore exutus eſt, nullo in metu verſatur amplius, ne eo excidat, habet tamen ſpem reliquam amiſſum locum recuperandi. (a) *Conſumpſerat enim tentationis invidiam humilitate perfecta; quia in fimo ſedens, unde cadat, non habet, ſed habet, unde reſurgat.*

Conferta eſt eloquentia ea epiſtolæ pars, in qua S. Hieronymus illata mentione extremi judicii Heliodorum hortatur ad vitam a ſæculi ſtrepitu remotam, auſteramque ducendam. Nimium deliciarum petis, mi frater, ſi mundi gaudia cum æternis cupis conjungere. (b) *Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto.* Veniet dies, veniet dies ille, quo corpus tuum poſita corruptione ad immortalem vitam redibit. Tum inſonante tuba terra cum incolis ſuis terrore ſuccutietur, tuque gaudio diffiues. Adventante Domino, terribili illo Judice, qui vivos non minus, quam mortuos ad tribunal ſuum evocabit, orbis hic in lugubres clamores ſolvetur. Regnantes, quorum olim vel nomen terrori fuit, tum comitatu omni deſtituti, pleni

 ter-

(a) Epiſt. 01. (b) Epiſt. 1.

terrore ſententiam Numinis opperientur. *Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet. Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Plato ibi ſuis ſtipatus diſcipulis fatuus habebitur; Ariſtoteles ibi ſua argumentandi vi judicii ſeveritatem non effugiet. *Adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis; Ariſtotelis argumenta non proderunt.* Sed tu pauper, & rudis gaudio exultans dices: vide DEUM, qui mea cauſa in crucem eſt actus, vide meum Judicem, qui pannis eſt involutus, qui communes omnibus infantibus planctus in præſepi edidit: iſte eſt filius vilis opificis, & pauperis fœminæ, quæ indies manuum labore victitavit: hic, DEUS quantumvis eſſet, ut hominis iram effugeret, matris ſinu, brachiisque in Ægyptum eſt delatus: iſti Coronæ loco ſpinæ in caput ſunt impreſſæ: hic in probrum vili purpuræ lacinia eſt coopertus: hic eſt Samaritanus, hic Magus, qui unius mali genii virtute mira illa, naturæ viribus ſuperiora patravit. Vide, Judæe manus, quas transverberaſti, cerne latus, Romane, quod aperuiſti: inſpice corpus, quod per noctem a diſcipulis raptum dixiſti. *Cerne manus, Judæe, quas fixeras, cerne latus Romane,*

ne,

ne, quodfoderas, videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Accipe, mi frater, de quo pro eo, quo in te sum amore, commonendum te duxi, ut dies aliquando testimonio tibi sit, usuque eorum bonorum cumulet, quorum nunc causa laboratur.

S. Maximus perstringit licentiam, & furores, quibus dum viveret, Kalendæ Januariæ celebrari solebant. Vir oblitus sui sexus fœminæ vultum, mores, mollitiem sumit, ceu vero illum sexus sui pœniteret. (a) *Totum se frangit in fœminam, tantoque illud ambitu atque arte regit, quasi pœniteat illum esse, quod vir est.* Qualis furor! qualis animi exerratio! homines DEI effictos manibus, voluptati ducere, quod figuras animalium, sævarum belluarum sumere liceat: non est res, quæ majus fastidium moveat, non est, quod stultius fingi possit, quam si videtur, ut homines vultum suum iis omnibus contaminent, quæ vel turpia, horribiliaque animo licet concipere, illum nempe vultum, quem DEUS ipse suis ornavit manibus, omnibusque naturæ gratiis perfudit.

 In-

(a) De Kal. Jan. Increpat.

Inter præclariora Divi Eucherii monumenta reponendum est illud, quod ad Valerianum scribit. Abrumpamus omne cum mundo commercium, cum illo mundo, cujus in fide nemo tuto conquiescit, qui & potentibus, & humilibus illudit. Qui abjecta conditione sunt, magis opprimuntur, & ipsa abjectio ruinam illorum accelerat: qui in sublimi positi sunt, assiduo nutant, metuuntque, ne ipso suo fastigio opprimantur. Omnes hominum conditiones perquire: nulla tibi uspiam quietis spes affulget, non si abjectus fueris, non si eminueris: utraque conditio multis patet infortuniis, humilis calumniis, paulo elatior invidiæ obnoxia est. (a) *Repudiemus mundi parum fidi vitam utrobique suspectam, apud quam alta perinde atque humilia parum tuta sunt: obteruntur humilitate depressa, nutant celsa fastigio. Pone, quem volueris, statum: non apud infima, non apud summa requiescitur, gravem turbinis sortem utraque conditio non effugit: subjacet contumeliæ minor, major invidiæ.*

S. Hieronymus pauculis verbis amplissimum Tito Livio elogium concinnat:

(a) **Epist. de Contemp. mundi ad Valerianum.**

nat: poſtquam dixit, primæ dignitatis homines ex intima Hiſpania, & Galliæ finitibus adveniſſe, ut celebrem illum Hiſtoricum viderent, cujus ſtylus cultus adeo, adeo fluidus, adeo ad naturam accedens erat, adjungit: Illos, quos Romana magnificentia ad viſendam urbem allicere non poterat, fama unius hominis accivit. Licuit tum rem ſuperioribus ſæculis nunquam auditam videre, exteros nempe in caput urbium adveniſſe, & magnificam illam urbem admiratos, aliud tamen ipſa in urbe quæſiviſſe, quod præter Romam mirarentur. (a) *Quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis, celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingreſſi aliud extra urbem quærerent.*

Quod S.Bernardus ſcribit ad ſacram DEO Virginem, quo illi ſuadet, ne ſuo e monaſterio excedat, eſt ex eo cogitationum genere, quæ non minus ſolidæ, quam amœnæ ſunt. Erat hæc Virgo ex earum numero, quæ non contenta ſanctimonia ſtatui conveniente devotionem juſtos fere ultra limites provehere, & vaſta eremo ſe abdere, aut magis vi-

(a) Epiſt. 84.

vam contumulare parabat: hanc ergo his monitis instruit: vel inter fatuas Virgines (si idtamen nomen ex merito geris) vel inter prudentes numeranda es; si fatuarum in numerum venis, solitudo noxia est tibi, & societas oumprimis necessaria: sed si sapientium e numero es, aliæ te carere non possunt. (a) *Aut de fatuis Virginibus una es (si tamen Virgo es) aut de prudentibus? si de fatuis, congregatio tibi necessaria est, si de prudentibus, tu Congregationi.*

Plena judicii est hæc D. Augustini animadversio: Non patiamur tempus, quo tam prolixe nobis misericordia offertur, effluere, ne tempus summi pretii elabatur, quin ex eo quid in nostra commoda vertamus. Veniet judicii dies, invadet nos pœnitentia, sed vana, & sterilis: impii pœnitudine corripientur, ut Sapiens dicit, & non sine gemitu exclamabunt: cui utilitati nobis fuit superbia? quid lucri ex nostris opibus traximus? cuncta umbræ instar transierunt. Dicamus ergo nunc, dum utilitatis quid nobis adhuc inde pari potest: omnia umbræ instar prætervolant; ne inuti-

(a) Epist. 115.

inutiliter aliquando dicere cogamur, omnia transivisse. (a) *Dicent intra se pœnitentiam agentes: transierunt omnia tanquam umbra; modo dicamus: transeunt omnia tanquam umbra, modo fructuose dicamus: transeunt, ne tunc dicamus infructuose: transierunt.* (b) Quantacunque felicitate in mundo hoc fruamur, dicit S. Hieronymus, non sentimus nos esse felices. Vile mancipium, quod repente compedes, sub quibus diu gemuit, cum regio solio commutaret, primis diebus novo suo de regno sibi mire plauderet: sed gaudio multum usus diuturnus detraheret: fortunæ enim suæ insuesceret, & consuetudo sensum dulcedinis pristinæ diminueret. Non ita se res habet cum Sanctorum felicitate: quo diutius ea tenetur, eo sentitur vividius, & adeo non illud gaudium usu ipso fastidium parit, ut etiam assiduo augeatur.

Christianus, S. Hieronymo teste, res est extranea prorsus, & composita ex rebus inter se pugnantibus. Nihil felicius Christiano, cui regnum cœlorum addictum est, nihil eodem magis

(a) In Psal. 32. (b) Hom. 6. in cap. 4. Epistol. ad Hebræ.

miserum, qui nunquam non in mortis discrimine versatur, nihil illo fortius, qui victoriam de ipso dæmone refert, nihil illo debilius, qui ab ipsa carne subjugatur. (a) *Nihil Christiano felicius, cui promittitur regnum cœlorum, nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur, nihil fortius, qui vincit diabolum, nihil imbecillius, qui a carne superatur.* Antitheses hæ solidæ sunt, lusumque minime tamen frivolum excitant.

S. Augustini scripta conferta sunt cogitationibus, quibus non minus imaginandi vis, quam intellectus pascitur, & quæ ad id apprime faciunt, ut elegantissimæ ex iis inscriptiones petantur. In ea Davidis verba: (b) *Deficientes sicut fumus deficient*, ita Sanctus commentatur: Fumus dum attollitur, magnam præ se nubem agit, sed quanto ea magis diffunditur, tanto minus firmitatem sibi spondere potest: dissipatur enim, & evanescit illico, ut ipsa illi magnitudo plurimum detrimenti afferat. *Quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior: ab illa enim magnitudine non fundata, & solidata, sed pendente it in auras, atque dilabitur, ut videas, ipsam ei*

(a) Epist. 4. (b) Psal. 36.

ei obfuisse magnitudinem. En veram effigiem, ut humana omnia sua se magnitudine velut conficiant. Sed vide aliud symbolum, e quo clare intelligitur, quantos e rebus adversis fructus decerpere liceat. Racemus, qui viti suæ inhæret, interna sua bonitate integer perfruitur; sed nihil liquoris exsudat, dum in torcular comprimendus injicitur; dum calcatur, gravis ei injuria inferri videtur: sed injuria hæc fructu non caret, quin cessante injuria sterilis remaneret. (a) *Injuria videtur fieri uvæ: sed ista injuria sterilis non est. Immo, si nulla injuria accederet, sterilis remaneret.*

De Prædicatoribus, qui licet vili habitu induantur, homines fidei luce collustrant, & salutari metu divini judicii percellunt, idem Pater, postquam hos Evangelii ministros nubes volantes, de quibus sacræ literæ loquuntur, dixisset, ita animi sui sensa exponit: vides nubem obscuram, densamque; nescio quid suo gremio tegit, corruscationes, & fulmina evibrat: ab eo, quod contemnebas, profectum est aliquid, quod tibi metum ingeneravit. (b) *Vides*

(a) In Psal. 55. (b) In Psal. 96.

des nubem nebulosam, obscuram: habet intus, quid nescio latens. Si coruscet, de nube emicat splendor, ex eo ipso, quod contemnebas, inde exsilut, quod pavescas.

Ratio, quam Tertullianus affert ad probandum, in vitam nos redituros iterum, elegans est, plausuque digna. Quomodo? an caro hæc ad vitam non revocetur amplius, quam ipse DEUS ad imaginem suam effinxit, & spiritu suo animavit? Inter tumbæ pulveres obsolescere patiatur princeps illud opus suarum manuum, cui curas providentiæ suæ tenerrimas impendit, cui supremum dominium rerum omnium, quæ oculis spectantur, quasque ex nihilo jussit existere, detulit? illa caro lucem non videat, amplius, quam hæredem constituit bonorum omnium, quibus cœlum, & terra redundat, quæ illius causa atrocissimas pugnas suscipit, & testimonium Evangelio vel inter rotas, ignesque reddit? illam sacerdotem suæ religionis, & sororem sui filii JESU Christi destituat? (a) *Absit, absit, ut DEUS manuum suarum operam, ingenii sui curam, molitionis suæ Reginam, liberalitatis suæ hæredem, testimonii sui militem,*

(a) De Resurr. carnis.

tem, religionis suæ sacerdotem, Christi sui sororem in æternum destituat interitum.

Cogitatio S. Bernardi de excellentia demissionis, & superbiæ utilitate exquisita est: Humilitas magnam complectatur gloriam est necesse, cum ipsa superbiam eam affectat, ne contemptum incurrat. (a) *Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat.* Superbia res difformis admodum, & probrosa sit, oportet, quæ palam se ostendere non audet, larvamque, dum in publicum se parat inferre, sumere cogitur.

Multum amœnitatis spirat, quod S. Hieronymus ad amicorum aliquem scribit, a qua longiori jam tempore nihil literarum acceperat: si me amas, precibus meis ductus, literarum aliquid ad me da: si averso es animo, vel iratus scribe: magno solatio doloris, quo a te avulsus sum, apponam, si vel a concitato amico literarum quid obtineam. (b) *Si me amas, scribe obsecranti: si irasceris, iratus licet scribe. Magnum & hoc desiderii solamen habebo, si ami-*

(a) De Grad. humil. cap. 9. (b) Epist. 42.

amici literas vel indignantis accipiam. Alteri, qui non minus ſegnis in perſcribendis novis erat, ſcribit: novi, qua excuſatione uſurus ſis, pigrorum nempe opificum more dices, quod ſcribas, tibi non ſuppetere: ſed id ipſum nempe perſcribendum tibi erat, non eſſe, quod ſcribas. (a) *Cum hoc ipſum debueris ſcribere, te non habuiſſe, quod ſcriberes.* De negligentia pariter alterius amici conqueritur, ad quem plures literas dedit, ſine reſponſo tamen ab eo transmiſſas, cui ingenioſo, & vivaci modo dicit: Crede, niſi moderatio me contineret, iratus adeo acerba tibi ſcriberem, ut tu illico iratus literas mihi redditurus eſſes: ſed quoniam commoveri hominis, & injuriam non referre Chriſtiani eſt, conſuetudini meæ inſiſto, ſanctiſſimis te precibus obteſtor, ut amantem te diligas. (b) *Crede mihi, niſi ſtyli verecundia prohiberet, tanta læſus ingererem, ut inciperes mihi reſcribere vel iratus. Sed quoniam & iraſci hominis eſt, & injuriam non facere Chriſtiani, ad antiquum morem revertens, rurſum precor, ut diligentem te diligas.*

Patres

(a) Epiſt. 44. (b) Epiſt. 45.

Patres sæpe in tenerrimæ suæ pietatis sensis ingenium suum produnt. Testimonio sit S. Augustinus ita DEUM alloquens: Quo me loco habes, Domine, ut mihi amorem tui imperes, ut mihi irascaris, ut gravissima mala intentes, si ab amore cessem, ut omnia mineris mala, si amori non insistam? (a) *Quid tibi sum, ut amari te jubeas a me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parumne ipsa est, si non amem te?*

Nihil tenerum magis, magisque illustre cogitari potest, quam quod S. Paulinus pietate exæstuans ad quendam suorum amicorum scribit. Plaudant sibi Oratores sua eloquentia, Philosophi sapientia, divites opibus, Reges potentia, & majestate. In JESU Christo divitem possessionem, & gloriosum regnum repositum habemus: sapientiam in stultitia Evangelii, fortitudinem in carnis imbecillitate, gloriam in crucis probro reperimus. (b) *Sibi habeant literas suas Oratores, sibi sapientiam suam Philosophi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua Reges. Nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est: nobis sapientia in stul-*

(a) Conf. lib. 1. cap. 4. (b) Epist. 29.

ſtultitia prædicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in crucis ſcandalo.

S. Maximus de bono latrone agens, per fidem, ait, innocentiam latronibus reddi, per infidelitatem contra Apoſtolos fœdis criminibus onerari: adjungit ſubinde. Fides magna, fides admiranda prorſus, quæ majori gloriæ, quam pœna ſuam fuiſſe Chriſto crucem credidit. (a) *Facit & fides innocentes latrones, & perfidia Apoſtolos criminoſos. Magna plane & eſt admirabilis fides, quæ Chriſtum crucifixum glorificari magis credidit, quam puniri.*

Reprehenſio, quam S. Auguſtinus ingenioſo adoleſcenti adhibet, qui Poeſim, ſed præ illa mundum amabat, vivacitatis, & roboris plena eſt: ſi verſus tui ad ſtateram exacti non eſſent, ſi ſyllabarum dimenſioni quid detractum eſſet, ſi minus accurate deſinerent, & inæqualibus numeris aures ferirent, probro id tibi duceres, illoque refringendis, & repoliendis illis manum admoveres, dum multa demum lima cruciati

(a) Hom. 2. de S. Latrone.

ciati a te luce donarentur. (a) *Si versus tuus momentis inordinatis perversus esset; si suis legibus non staret, si mensuris imparibus aures offenderet, puderet te certe, nec differres, nec desisteres, donec ordinares, corrigeres, æquares versum tuum.* Interim dum vita tua a præfixa norma aberrat, dum parum divinæ legi respondet, perturbato ordine agi, ferrique cuncta pateris: ceu vero gravioris delicti reus futurus esses, si quid in syllabarum sonum admittas, quam si omnem tui curam ponas, ceu minus foret morum corruptela Numinis iras provocare, quam præpostera syllabarum collocatione Grammaticorum aures offendere. *Quasi præ sono linquæ tuæ sis tibi vilior, & incompositis moribus quod offendis aures DEI, levius sit, quam si incompositis syllabis tuis grammatica succenseret authoritas.* Exclamat subinde, quod Licentius versu scripserit, non aliud se expectare, quam imperium Sancti, ut vitæ se bonæ, Divique sectatoribus redderet: miserum me, si a te non exigo, si te non cogo, si non impero, si non ardentissimis te precibus urgeo! sed si aures voci meæ negas, præbe eas tuæ, tuos versus audi,

r teque

(a) Epist. 39. ad Licenti.

teque ipſum, qui duriſſimus, immaniſſimus, & ſurdiſſimus es mortalium. Quid commodi mihi accedet, ſi lingua tua aurum fundat, cor ferro rigeat. *Me miſerum, ſi ego non jubeo, ſi non cogo, atque impero, ſi non rogo, atque ſupplico, ſed ſi aures tuæ adverſus meas voces clauſæ ſint, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi te ipſum, duriſſime, immaniſſime, ſurdiſſime. Quo mihi linguam auream, & cor ferreum!* Quibus carminibus, vel magis, quibus lamentis verſus hos ſatis proſequi potero, cum video, hanc me animam, hoc ingenium DEO aſſerere non poſſe.

Acutum eſt illud Tertulliani de DEO dicentis: Magnitudine ſe ſua hominibus prodit, & eodem ſe tempore iisdem ſubducit: hæc malitiæ ſumma eſt, nolle impios eum cognoſcere, cujus notitiam effugere non poſſunt. (a) *Eum vis magnitudinis, & notum hominibus objicit & ignotum, & hæc eſt ſumma delicti, nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Idem bene exprimit, quanta Numinis ſit potentia, dum dicit: (b) *DEO nihil eſt impoſſibile, niſi quod non vult.*

Cogi-

(a) Apolog. cap. 17. (b) De Carne Chriſti.

Cogitatio S. Augustini de hominis felicitate & bella est, & spiritus plena. (a) *Beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi.* Beatam vitam omnes amant, a flagitiis non abhorrent, modo ne in miseram conditionem dejiciantur. Interrogas, cur hic furtum admiserit; illaqueavit se hoc scelere, ut famem, qua premebatur, effugeret, ut e calamitate, qua urgebatur, se explicaret: flagitium perpetravit, ne cum calamitate diutius colluctaretur, non animadvertens, infortunium suum vel eo ex capite augendum, quod sceleribus se dedidit. *Ne miser sit, malus est, & ideo miserior est, quia malus est.* Cum autem felicitas tibi obvenerit, a miseriis te utique respirare credes; fieri autem minime potest, ut re, quæ te pejor est, prolapsam conditionem tuam corrigas. Homo es: aurum, argentum, res omnes, quæ in tuos incurrunt oculos, quibus tanta aviditate inhias, viliores homine sunt. Quære, quod te melius est, ut ejus possessione in meliorem, quam qua nunc gaudes, conditionem eveharis. *Quære, quod est melius te, ut inde efficiaris melior te.* At

 obje-

(a) In Psal. 32.

objectum illud non aliud, nisi DEUS tuus est, qui postquam dono tibi dedit res creatas omnes, se ipsum tibi servavit: pete ab illo rem aliam, si quam meliorem inveneris. *Pete aliquid, si melius inveneris.*

Teste S. Bernardo perseverantia est velut imago æternitatis: sola est, cui æternitas redditur, aut potius, quæ hominem æternitati reddit. (a) *Æternitatis quandam imaginem perseverantia præ se fert: sola est, cui æternitas redditur, vel potius, quæ æternitati hominem reddit.* Cogitatio hæc ex sublimi genere est, quas Longinus inter præcelsas, & nobiles refert.

S. Chrysologus pauca intra verba constringit Panegyrim sancti cujusdam Episcopi, qui idem, quod Apostolorum Princeps nomen gessit, & quem virtutes eminentes celeberrimum reddiderunt. Omnes, qui abdidas solitudines, & subductas hominum oculis eremos incoluerunt omni cum hominibus mutuo usu dirempto, suas latebras deseruerunt, non ut sæculo, ejusque pompis fruerentur, sed ut illum admirandum

(a) De Consid. lib. 5. cap. 12.

dum hominem viderent, cujus illuſtres virtutes fama acceperant. (a) *Quicunque invias ſolitudines, aut latentes eremi latebras incolebant, mirabilem Petrum magis veniunt videre, quam ſæculum.* Eremicolæ illum videntes didicerunt, quanto glorioſum magis, tanto etiam difficilius eſſe cum mundo in medio ipſius mundi dimicare; nam ſi vel ſolitarii, quibus nihil pugnæ cum mundo interceſſit, ſuo non carent præmio, quantæ non, quamque illuſtres eos manent palmæ, qui cum ipſo mundo decertarunt.

Idea, quam S. Auguſtinus de felicitate Sanctorum format, ſola eſt, quæ fingi poteſt. Attollite deſideria, cogitationesque veſtras ea ultra, quæ vidiſtis unquam, vel quæ animo concipere potuiſtis, reputate res mundi hujus pulcherrimas, magnificentiſſimas, & amœniſſimas, & rejicite illas, dicite: non has DEUS ſuis amatoribus adornavit; nam ſi ſepoſitæ amicis eſſent, ego animo illas adumbrare non potuiſſem. (b) *Excedat cor veſtrum omnia viſa: quidquid occurrerit, quod cogitari poſſitis, dicite: non eſt illud, non enim, ſi illud eſſet,*

(a) Serm. 105. (b) In Pſal. 26.

ſet, occurriſſet. Deſiderabitis ergo aliud, & quale bonum? Omnis boni bonum, fontem omnis boni, bonum, cui non aliud, niſi bonum adjungi poteſt. *Omnis boni bonum, unde omne bonum, bonum, cui non addatur, qui ſit, niſi ipſum bonum.* Bonum campum, bonam domum, bonam arborem, bonum corpus dicere ſoletis; ſed quoties bonum quid appellatis, rem ſemper aliam adjungitis: bonum illud compellandum eſt unice, cui bonitatem ſuam res aliæ debent, quodque non aliud eſt, niſi gaudium Domini, quo perfruemur. Si quas delicias reperitis in rebus, quæ bonæ appellantur, id tamen nomen nullo jure merentur; propterea quod mutabiles, & vanæ ſunt, quas non reperietis, contemplantes bonum, quod nec mutationem, nec finem novit?

Per occaſionem perſecutionis, qua S. Hieronymus jactatus fuit, propterea quod eo auctore Matronæ Nobiles Paula, & Melania ſæculi ſe tumultu abdicarint, ſancta libertate dicit: reddo grates Numini, quod mundi odiis dignus videar. (a) *Gratias ago DEO meo, quod dignus ſim, quem mundus oderit.* Idem ad S. Auguſtinum, qui communi odio

omnium

(a) Epiſt. 99.

omnium Ecclesiæ hostium deflagrabat, scribit. Ne concide animo, nomen tuum Romæ inclaruit, Catholici te ut fidei avitæ instauratorem reverentur, & admirantur, & quod tuam gloriam auget, hæretici te detestantur. (a) *Macte virtute, in urbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt. Et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Cogitationes hæ periculis quibusvis superiorem magnanimitatem spirant.

S. Bernardus de se ipso dicit, quod potiori jure ad Monachos quosdam referendum est, qui toto orbe animo diffusi nihil monachi præter vestem retinent. Difforme quid vita mea habet: ego enim quod nescio sæculi mei monstrum sum, qui nec inter Clerum professos, nec inter homines extra monasterii claustra viventes numerandus sum: multum jam temporis abiit, a quo præter vestem mores omnes, institutaque Monachorum abjeci. (b) *Clamat ad vos mea monstruosa vita: ego enim chimæra mei sæculi, nec Clericum gero, nec Laicum; nam monachi jam dudum exui conversationem, non habitum.* Idem Pa-

(a) Epist. 80. (b) Epist. 245.

ter alio in loco de Ecclesiasticis quibusdam dicit, qui profanorum instar hominum vivebant, & vel vestitum Clericis convenientem ponebant. Hæc vestium species, splendida adeo & nobilibus conveniens corruptos illorum mores abunde prodit. Quid demum causæ est, quod homines consecrati Numinis & altaris cultui certum aliquod vitæ genus profiteri velint, quod vita subinde, moribusque velut abjurent? e vestibus quis eos Præfectos militares metiri posset? e censu conjicere licet destinatos eos Ecclesiæ esse! vita neutri instituto auctoratos se probant; nam nec bellum sequuntur, quod militum est, nec semen divinæ doctrinæ spargunt, quod Ecclesiæ Ministris convenit. (a) *Forma hæc vestium deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt: nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent: nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant.*

Teste Divo Zenone Veronensi DEUM velut abnegare videtur, qui ejus magnitudinem ad humanas rationes exi-

(a) De Consid. lib. 3. cap. 5.

exigere cogitat. (a) *Negat quodammodo DEUM, quisquis rationibus humanis DEUM metiri conatur.* Nec possumus illi dignum ejus majestate sacrificium offerre, adjungit idem Pater, si credimus nostrarum virium esse eum pro eo, ac par est, æstimare. *Nec potest eum revereri, qui ingenii sui putat esse, quod ille fuerit æstimatus.*

Superbi illi Philosophi, qui Numinis agnitione imbuti erant, sed divinos illi honores minime retulerunt, qui tantis ab illo cumulati erant beneficiis, quibus tamen ne grates quidem rependerunt: hi, quos mundus sapientes habuit, mente moti sunt, illorum ingenium perturbatum, & cor tenebris obfuscatum fuit. Credisne hanc aberrationem, & cæcitatem modica inter supplicia referendam? si quis furtum admittens oculo orbaretur, nemo non diceret, severas a Numine pœnas repetitas: peccator animæ oculum perdidit, & delicti gratia a Numine facta creditur. (b) *Si quis furtum faciens statim oculum perdidisset, omnes dicerent, DEUM præsentem vindicasse: oculum cordis amisit, & ei pepercisse putatur Deus.*

 S. Hie-

(a) Serm. de Fide. (b) S. August. in Psal. 57.

S. Hieronymus agens de Juditha, quæ demandatam a Numine aggressionem executioni datura cilicium posuit, quo ab eo inde tempore, quo maritum amisit, præcincta erat, omniaque ea, quæ novum decus conciliari possent, adhibuit: ita loquitur. Video illam manu gerentem gladium, video manum rorantem sanguine, video caput Holophernis medios inter hostes ereptum: fœmina de viris, pudor de lascivia triumphum agit: sed parta victoria, video illam ornatum omnem ponentem, video illam lugubri veste, quæ victoriam meruit, & ornatui omni præferenda est, rursum indutam. (a) *Video armatam gladio manum: cruentam dexteram: recognosco caput Holophernis de mediis hostibus reportatam. Vincit viros fœmina, & castitas truncat libidinem, habituque repente mutato ad victrices sordes redit, omnibus sæculi cultibus mundiores.*

In illud, quod de Christianis rescripsit Trajanus Plinio Gubernatori Asiæ: genus id hominum nempe minime inquirendum, puniendum tamen esse, ubi accusatum fuerit, Tertullianus

(a) Epist. 10.

nus exclamat: o judicium perturbatum, quodque ſua ſe iniquitate perdit. Imperator vetat, ne Chriſtiani indagentur, ceu nullius eſſent comperti criminis, & animadverti in eos ut facinoroſos jubet, Eodem tempore clementiam, & crudelitatem permiſcet, diſſimulat, & condemnat. Quæ cauſa, quod proprio vos teſtimonio conficiatis? ſi noviſſima hæc ſupplicia meritos nos creditis, quin e latebris nos eruditis? ſi nihil moribus noſtris probroſum adeo inſidere creditis, ut in nos inquiratur, cur non noſtram innocentiam palam aſſeritis? (a) *O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes: parcit, & ſævit, diſſimulat, & animadvertit. Quid temetipſum cenſura circumvenis? ſi damnas, cur non & inquiris? ſi non inquiris; cur non & abſolvis?* Argumentandi ratio non minus firma, quam acuta eſt: quodque majus illi robur addit, eſt, quod Plinius Trajano ſcripſerit, ſe diſcuſſa Chriſtianorum vita, non aliud reprehenſione dignum reperiſſe, niſi quod Diis ſacrificare abnuant, in aliis vitam eos ad omnem diſciplinam exactam ducere, moribus integerrimis eſſe,

(a) Apol. cap. 1.

esse, districtis verbis prohibere homicidium, adulterium, mendacium, perfidiam, aliaque crimina.

S. Augustinus commotus teneræ pietatis sensu de DEO dicit; Amas Domine, sed amor tuus nullam perturbationem novit: æmulus es, sed æmulatio tua omnis perturbationis expers est. Pœnitudine tangeris, quin tamen ea cum dolore juncta sit: irasceris, neque tamen ira tranquillitati tuæ officit: mutas opera, non tamen æternæ tuæ mentis consilia: paupertatem nunquam experiris, & lucrum nunquam non facis: nunquam avarus es, & fœnus de iis, quæ nobis præstas, beneficiis exigis. (a) *Amas, æstuas: zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam avarus, & usuras exigis.* Antitheses validis momentis libratæ sunt, nihilque in iis invenias, quod inter ludicros verborum lusus referri possit.

Patres de adversis a DEO nobis immissis loquentes, multa, quæ memoriam merentur, consignarunt. Felix servus,

(a) Conf. lib. 1. cap. 4.

vus, dicit Tertullianus, cujus correctioni invigilat Dominus, quemque ira sua dignum ducit. (a) *O beatum illum servum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci.* S. Augustinus idem fere, majori tamen tenerritudine, & vi dicit: Omnem, ut volet, in nos rigorem exerceat, fieri tamen nunquam poterit, ut parentem se obliviscatur. (b) *Sæviat, quantum vult, Pater est.* S. Gregorius paternum hunc rigorem misericordiæ tormenta nominat, & adjungit: Punit, & eodem, quo castigat tempore, amat. (c) *O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat.* Dictis his nihil solidius, teneriusve fingi potest. Paucula hæc verba repetita, & regustata vel magnos dolores mitigant: utque, quod expertus sum ipse, palam edicam, ipse ex illis non raro subsidium petii in hoc statu fastidii pleno, quique vel ipsius vitæ tædium mihi non semel injecit.

Ipso in solio ii, quos mundus ad amplissimas dignitates extulit, a mancipiis non distant: S. Bernardus mancipatum illorum bene describit dicens ad Eugenium Papam: mancipatu te absolu-

(a) De Pati. (b) In Psal. 102. (c) Hom. 21. in Ezechi.

ſolutum credis, propterea quod non uni, ſed omnibus hominibus ſervis? non alia ſervitus probroſa, duraque magis, quam Judæorum ſingi poteſt: ſervitus eos, in quaſcunque demum orbis partes abierint, conſequitur, ſuos ubivis Dominos reperiunt. Edic, amabo, quo demum in loco tui juris es? ubi tutus? ubi tibi relinqueris? tumultus? ſtrepitus te ubivis excipit, jugum, ſub quo gemis, tecum circumfers. (a) *An ideo non ſervus, quia non uni ſervis, ſed omnibus? nulla turpior ſervitus, graviorque, quam ſervitus Judæorum, quam quocunque poſt ſe trahunt, & ubique Dominos offendunt ſuos. Tu quoque, dic quæſo, ubi unquam ſis liber, ubi tutus, ubi tuus? ubi ſtrepitus, ubique tumultus: ubique jugum tuæ ſervitutis te premit.* Illa Iſaiæ verba: (b) *Texuerunt telas aranearum*, refert Origines ad eos, qui ad conſtitutum finem viis ſubtillibus admodum pertingere cupiunt, non eum tamen, quem optant, in negotiis ſuis ſortiuntur exitum. (c) Non eſt opus aliud, dicit hic Pater, ubi induſtria, & artificium magis ſe prodat, quam in telis aranearum. Textura horum filorum

adeo

(a) De Conſid. lib. 1. cap. 3. (b) Cap. 59. v. 5. (c) Hom. 2. in Pſal. 38.

adeo bene dispoſita, filum unum cum altero tanta ſubtilitate implexum eſt, ut inter prima naturæ opera referri mereatur, & artifices omnes in ruborem det. Sed ſimul inter omnia opera nullum perinde infirmum invenias; quivis ventulus utut tenuis perturbat, totamque texturam aufert. Vide typum fortunæ ad humanæ prudentiæ regulas exactæ: ſuis viribus conſiſtere non poteſt, & ut evertatur, non valido admodum opus eſt turbine.

Teſte S. Hieronymo ſcriptor nullus adeo imperitus eſt, qui non ſibi ſimillimum lectorem inveniat. (a) *Nullus imperitus ſcriptor eſt, qui lectorem non inveniat ſimilem ſui.* Princeps Poetarum Gallicorum Satyricorum expreſſionem hanc auxit, dicendo: *Stulto nunquam deeſt ſtultior, cui admirationi ſit.*

S. Auguſtinus perfecte explicat, quis demum verus, concretionisque omnis expers Numinis amor ſit. Dici non poteſt vero Chriſtianam animam in Numen amore ferri, ſi ſpe lucri ducta Numini ſe addicat. Quid ergo, an noſtra obſequia ſua remuneratione carebunt?

(a) Præfat. in lib. 12. Comm. in Iſai.

bunt? non ſane: ipſe, cui ſervimus, DEUS cumulata laborum noſtrorum merces erit. (a) *Quid ergo? mercedem de DEI cultu non habebimus? habebimus plane, ſed ipſum DEUM, quem colimus. Ipſe nobis merces erit, amatoribus ſuis Dominus noſter.* Quo ad diſcipulos ſuos ſermone uſus eſt Dominus? qui mandatis meis morem gerit, qui mihi amorem impendit, meum, Patrisque mei amorem ſibi vindicat. Quid a me doni feret? in conſpectu meo conquieſcet. Si vos illum non amatis, modicum eſt: ſi illum amatis, ſi ad Dominum veſtrum ſuſpiriis ferrimini, ſi lucri nullius ſpe illi deſervitis, hoc unum eſt, quod cor veſtrum poteſt deſiderare: non aliud præter illum quærite, non deeſt illi, quo veſtra vota expleat. Quantumcunque demum opibus inhietis, ſatisfaciet veſtris deſideriis DEUS: avaritia veſtra ad totius mundi poſſeſſionem aſpirat, adjungite; & cœli: ille, qui cœlum, terramque condidit, an non utrique præferendus eſt? *Quantumlibet ſis avarus, ſufficit tibi DEUS; etenim avaritia terram quærebat poſſidere totam, adde & cœlum, plus eſt, qui fecit cœlum, & terram.*

Cogi-

(a) In Pſal. 55.

Cogitatio S. Chrysostomi de fructibus, qui e pœnitentia referuntur, pulchra, & solida est. (a) Apud tribunal humanum, ubi semel sententia lata est, lachrymis, gemitibusque utut indulgeatis, suppliciis tamen minime eximemini. Sed apud tribunal DEI, cum justitiam exerceret Ecclesia, si planctus, si suspiria mittitis, judicis vestri sententiam aboletis, veniamque obtinetis.

Consilium, quod S. Bernardus Eugenio Papæ suppeditat, profectum est ab homine, qui non minus acri judicio, quam ardente zelo erat. Rumpe velum, quod te propriis oculis subducit; folia hæc, quæ probrum tuum obtegunt, non vulnus sanant, convelle. (b) *Dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non curantium plagam:* spolia te vanis, quibus vestitus es ornamentis, gloriaque omni, qua cingeris, nudum te, qualisque hunc orbem subiisti, contuere: natusne es cum his dignitatis tuæ insignibus, vestibusque pretiosis? lucemne hanc aspexisti gemmis fulgens, & auro oneratus? si pompam hanc ceu rem extra te sitam, ut nubem prætervo-

S lan-

(a) Hom. 6. in cap. 2. Math. (b) De Consid. lib. 2. cap. 9.

lantem, & non multo post dissipandam contempleris, nihil tibi reliquum erit, nisi homo pauper, & miserandus, suæ conditioni indolens, erubescens suam nuditatem: homo, qui lachrymis natales suos consignat, præsenti rerum statui ingemiscit, & labori unice non honori deputatus est. *Homo dolens, quod homo sit: erubescens, quod nudus sit, plorans, quod natus sit: murmurans, quod sit: homo natus ad laborem, non honorem.*

Quod Sanctus idem ad quandam sui temporis sacram DEO Virginem scribit, convenit in omnes, qui spiritu mundi aguntur. Quomodo nomen sacræ DEO Virginis usurpas? cujus vita a professione prorsus abludit? cur velum, quod capiti impositum gerebas, modestiam spondebat; cum vivaces, & dissoluti oculi dissolutam impudentiam spirarent? caput quidem incedens velaveras, sed eodem tempore elatum illud gerebas: sub signo verecundiæ impudentes sermones effudisti: (a) *Ut quid hactenus Nonna & Sanctimonialis vocitata es, quæ sub sanctitatis nomine, non tamen sancte conversata es? Cur velum in capite mentiebatur reverentiam,*

&

(a) Epist. 124.

& sub velo petulans oculus exhibebat impudentiam? caput siquidem gerebas velatum, sed elatum. Sub signo verecundiæ sermo resonabat inverecundus. Ille immoderatus risus, dissolutus ille oculorum jactus, spirantes lasciviam gressus, splendidus hic vestitus magis conveniret profanæ mulieri, quam filiæ DEO consecratæ. Adjungi hic potest, quod in argumento simili S. Augustinus dicit: Reperire est inter Religiosas, quæ ignorant, quid regula, quam professæ sunt, quid disciplina, ad quam vitam exigere debuerant, ab ipsis deposcat, curiosas, loquentes de rebus ab ipsarum instituto abhorrentibus, vanas, & superbas, loquaces, lautas non aspernantes, putantesque muneris sui partes omnes per id jam expletas, quod intaminata virginitate sint. Sed quid demum commodi e casto corpore sperare licet, si anima corrupta sit? fœmina matrimonio juncta, demissa tamen, & humilis præferenda est superbæ Virgini: si enim matrimonium inivisset, vano nomine non superbiret, frœnoque subjecta sapientior redderetur. *Quid prodest integra caro mente corrupta? melius est humile conjugium, quam superba Virginitas; si enim nuberet, non haberet no-*

men, quo extolleretur, & haberet fræ-num, quo regeretur.

Minutius Felix & arma Romanorum antiquorum, & religionem perstringit. Postquam dixit; omnia illos, quæ possident, aut adorant, audaciæ suæ, & injustitiæ debere, templaque ipsos urbium ruinis, aut ipsorum Deorum spoliis locupletasse, adjungit: non religione suam potentiam stabiliverunt Romani, sed admissis impune sacrilegiis. (a) *Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.*

Invectiva S. Ambrosii in divites avaros, qui non modo nihil leniminis pauperibus præstant, sed eos penitus evertunt, magna acrimonia est conferta. Muros ædium vestrarum aulæis splendidis vestitis, & pauperes spoliatis. (b) *Parietes vestitis, & nudatis homines.* Præ foribus vestris nudus pauper opem vestram implorat, vosque adeo non curam aliquam in eo recreando impenditis, ut soliciti unice sitis, quo marmore pavimenta vestrorum ambulacrorum consternatis. *Clamat homo nudus, & tu solicitus es, quibus marmoribus pa-vimen-*

(a) In Octav. (b) De Nabuth. Israel. cap. 13.

vimenta tua vestias. Panem in supremum vitæ subsidium deposcit homo, dum equi vestri aureis frœnis superbiunt. *Panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit.* Populus fame emoritur, dum una annuli tui gemma totius populi famem levare poterat. *Totius vitam populi poterat annuli tui gemma servare.* Subinde addit: pauperum labore, periculoque aurum e terræ visceribus eruitur, quod illis subinde negatur. *Per egentes aurum quæritur, & egentibus denegatur.* De eodem argumento majore multo impressione S. Hieronymus loquitur. Aurum ubivis vestris in ædibus coruscat, in muris, laquearibus, columnis, & JESUS Christus nudus præ foribus vestris sub pauperis specie emoritur. (a) *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, & nudus, atque esuriens ante fores vestras Christus in paupere moritur.*

S. Hieronymus feliciter præfixum sibi finem in Epitaphio Marcellæ assequitur; omnem nempe reprehensionem mores nobilis hujus Romanæ Matronæ effugisse. Quis unquam de Ma-

(a) Epist. 11.

trona hac finiſtri quid vel fama accepit, quod credere potuit? quis credidit, quin illico credulitati ſuæ iraſceretur? *Quis unquam de hac muliere, quod diſpliceret, audivit, ut crederet? quis credidit, ut non magis ſe ipſum malignitatis, & infamiæ condemnaret?* Eodem in loco Sanctus mores Ethnicarum viduarum eſt executus, ut ipſa oppoſitione Marcellæ merita illuſtriora redderet. In more illæ habent fucum adhibere, ſerico veſtiri, gemmis ornari, torquibus, & inauribus fulgere, ſuffimentis recreari, quæ amœnum odorem ſpirent, maritorum morti ita illachrymantur, ut eorum ſe demum dominio exemptas gaudeant. *Maritos ita plangere, ut tandem dominatu eorum caruiſſe ſe lætentur:* novos ſponſos adſciſcunt, quibus imperent, non quibus e mandato Numinis morem gerant: eligunt etiam de more pauperes adeo, qui non aliud præter nomen, & ſpeciem mariti gerant, qui procos, quin vel vocem doloris indicem mittant, tolerare norint, proturbandi illico, ſi de accepta injuria querantur. *Si muſſitaverint, illico projiciendi.* Noſtra vidua, adjungit Sanctus, nulla in re ſimilis his erat. Utebatur veſtibus, quæ a frigore defen-

defenderent, non modeſtiæ officerent, dum corpus magis omnium conſpectui offerunt, quam illud tegant. Aurum nec in annulo, nec in capite reliquum ſibi fecerat, in alimenta pauperum illud magis effundere, quam in ciſta reconditum ſervare exoptans. In illud, quod Marcella ſacras literas exhauſerat, & abſente S. Hieronymo, ſi quando litis quidpiam de difficilioribus ſcripturæ locis movebatur, ea ſententiam rogabatur, dicit S. Hieronymus: ut prudens erat, & illud norat, quod Græci decorum vocant: *Noverat illud, quod apellant Philoſophi το πρέπον, id eſt decere, quod facias*, illa reſpondit tanta modeſtia, ut illud, quod a ſuo ingenio petierat, laudis inde ſibi nihil arrogatura, mihi aut alteri attribueret, denique ut ſe diſcipulam profiteretur in iis ipſis rebus, quas docebat. *Ut in eo ipſo, quod docebat, ſe diſcipulam fateretur.*

De dimiſſione Chriſtiana S. Auguſtinus ſcribit. Magnum myſterium hæc humilitas eſt: DEUS eminet ultra res creatas omnes. Attollis te, & ille tibi non appropinquat: deprimis te, & ille ſe tibi jungit. (a) *Magna myſteria;*

(a) In Pſal. 33.

DEUS super omnia est. Erigis te, & non illum tangis: humilias te, & ipse ad te descendit.

S. Chrysologus magna eloquentia mortem Joannis Baptistæ exequitur. Postquam dixit, eum, qui homines superat, & ipsis Angelis æqualis est, traditum fuisse arbitrio impudicæ, & saltatricis; exclamat: Quomodo, Herodes, adulterium perpetras, & carceri Joannem Baptistam mancipas? sicne judex sententiam fers, qui præquam alii ipse atrocioribus teneris flagitiis? innocentiam, quæ asserenda a te fuerat, ipse persequeris. Edic, quo loco res tuæ sunt? ubi pudor? ubi fama judicis? sed quid dico? ubi DEUS? ubi homo? ubi æquitas: ubi leges? ubi naturæ ipsius jura? (a) *Sic judicas sedens in loco judicis reus? in loco vindicis innocentiæ persecutor? Rogo, ubi rerum facies? ubi pudor? ubi existimatio publici cognitoris, certe ubi DEUS? ubi homo?* Herodes! res omnes suo ab ordine abierunt, ab eo inde, quo tu judicas tempore, & leges dicis. In disco caput Sancti affertur: quale spectaculum! Palatium Herodis in sanguinarium amphitheatrum

trum

(a) Serm. 127.

trum abiit: mensa in circum cædibus consertum: convivæ in spectatores vertuntur, cibus horrorem ingenerat, festiva solemnitas in homicidium, vinum transit in sanguinem. *In arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam. Fiunt de pransoribus spectatores, fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem.* Natalis Herodis luctu, & morte terminatur, instrumenta musica nonnisi feralem sonum edunt. Non fœmina, sed ferox bestia intrat in convivii locum: non saltatum, sed devoratum advenit: quæ choreas ducit, leænæ & tygridi quam fœminæ propior est: non capilli per collum, humerosque defluunt, jubæ sunt cruentæ belluæ: saltu e terra attollitur, & se ipsa altior videtur, sed non si furor eminentem hanc corporis speciem illi addit. *Intrat bestia, non puella; quærit amputare, non saltare. Discurrit fera, non fœmina: spargit jubas per cervicem, non capillos: fit grandis crudelitate, non corpore.* Fors in profanis authoribus omnibus non aliam perinde vividam, ingeniosamque descriptionem invenies.

Quam concupiscentia nullum terminum novit! Bestiæ feroces iis, quos

natura præfixit, acquiescunt limitibus; nam rapinas non agunt, non devorant, nisi fame stimulante; prædæ non imminent satiatæ. Una divitum avaritia nunquam expleri potest, rapit, devorat assiduo, quin unquam satietur. (a) *Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cum & ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, cum esuriunt; parcunt vero prædæ, cum senserint satietatem. Insatiabilis est sola avaritia divitum, semper rapit, & nunquam satiatur.*

Proh nefas! dicit S. Hieronymus: mundus in pejus prolabitur indies, splendorisque sui aliquid amittit: solum peccatum ita firmas in nobis radices egit, ut priora novis cumulemus. (b) *Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt.* Illa urbs inclyta, & illustris, caput imperii, uno tumultu pene eversa est. Non est provincia, non regio, quæ fugitivorum Romanorum civium exilio non consignetur. Ecclesiæ alias vel eo satis venerandæ, quod sancti, augustique continent, prope omnes in cineres redactæ sunt, & tamen opibus perdite inhiamus: vivimus eorum more, quibus in diem crastinum mors

(a) De Verbis Domini. (b) Epist. 12.

mors impendet, ædificamus ceu nunquam e vita hac abituri. *Vivimus quasi altero die morituri, & ædificamus, quasi semper in hoc sæculo victuri.*

Vide, ut pulchritudinem Tertullianus definiat: est corporis felicitas, accessio perfectionis, quæ divino operi majus decus addit, & velut dives animæ vestis. (a) *Felicitas corporis, divinæ plasticæ accessio, animæ vestis bona.* Quod Tertullianus de perverso pulchritudinis usu adjungit, non minus amœnum, piumque est. Superbia, quæ plerumque solitudini juncta est, Christianas fœminas dedecet; nam Christiano non de corpore, sed anima gloriandum est: aut si quæ ex carne gloria petenda est, ea tum petenda, cum Numinis amore lacerata in equuleo rotis distenta supplicia hæc Numinis causa perfert, ut spiritus, quo animatur, coronam referat, non ut adolescentum amores conciliet. *Nam & si gloriandum est, in spiritibus bonis, non in carne placere debemus. Plane gloriabitur Christianus in carne, sed cum propter Christum lacerata duraverit, ut spiritus in ea coronetur; non ut oculos, & suspiria adolescen-*

(a) De Cultu fœmin. lib. 2.

lescentium post se trahat. E quibus Tertullianus infert conclusionem sensatam admodum, fœminas nempe, quibus nihil pulchritudinis obvenit, non admodum ea jactura affligi debere: contra eas, quæ pulchritudine præstant, frivolum id, damnique plenum donum negligere debere. *Ita quod ex omni parte in vobis vacat, merito & non habentes fastidiatis, & habentes negligatis.* Quin nec his acquiescit Tertullianus: non modo fœminas hortatur, ut pulchritudinem contemnant, insuper ornatu omni eis interdicit, hac potissimum de causa, quod vestes hæ superbæ, & splendidæ non alteri rei, quam corrumpendæ pudicitiæ deserviant. Pulchritudinem, ait, nisi supetias velut a splendido, & licentiæ pleno vestitu petat, vim suam exercere non posse, & armis suis cautam videri, vestitum contra solum quadam ratione vices pulchritudinis obire. *Hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium, dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituant: adeo si desint, irritam, & ingratam reddunt velut exarmatam.* Adjungit, ne vel ipsi senes, qui in modesto, simplicique vestitu voluptatibus se omnibus abdicarunt,

carunt, ſplendido veſtitu commoventur iterum, ceu ornatus affectiones, quas provecta ætas extinxit, rurſum inflammaret. *Ætates denique requietas, & jam in portum modeſtiæ ſubductas ſplendor, & dignitas cultus avocant, & ſeveritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitibus irritamentum pro frigore ætatis.*

Comparatio, qua S. Auguſtinus Adamum, & Jobum inter ſe confert, neſcio, quid gratum, & ingenioſum ſpirat. Homo victus eſt in paradiſo, at victoriam in fimeto retulit. Dæmon miniſtra fœmina uſus victor abiit: hic homo & dæmonem & fœminam ſuperavit. (a) *Victus in paradiſo, victor in ſtercore: ibi victus eſt a diabolo per mulierem, hic vicit diabolum, & mulierem.*

S. Hieronymus pauculis verbis amplum elogium epiſtolis Sanctorum Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ concinnat, dum eas breves, longasque ſimul ſcribit: breves, ſi quis verba ſpectet; longas, ſi quis eas cogitationum ubertate metiatur. (b) *Breves pariter, & longas, breves in verbis, longas in ſenten-*

ten-

(a) In Pſal. 34. (b) Epiſt. 103.

tentiis. Referri hoc ad dicta omnia concisa, & nervosa potest, quæ rebus magis, quam verbis conferta sunt, & quibus plus cogitationum, quam vocum inest, quales sunt loci aliquot Livii, Sallustii, & Taciti. Idem Sanctus Apocalypsin S. Joannis dicit tot mysteriis redundare, quot verbis conscripta est. *Tot habet sacramenta, quod verba.*

S. Augustinus validum motivum adhibet, ut hominem non nisi vindictam spirantem ad mansuetudinem adducat. Vindicta, Christiane, æstuas, dum JESUS Christus suam nondum explevit? (a) *Vindicari vis Christianus? nondum vindicatus est Christus.* Idem fere S. Cyprianus sed sublimiori, & nobiliori modo dicit. Quanta clementia est Christus? quo non majestatem suam deprimit? in cœlo divinos honores fert, & illatas in mundo injurias sine ullo vindictæ sensu negligit. (b) *Qualis Dominus JESUS, & quanta patientia ejus, ut qui in cælis adoratur, nedum in terris vindicatur?* Alias hominem, qui furore ardens vindictam anhelabat, hortatur, ut consideret, illum, cujus unius est vindictam sumere, sine ultione suas trans-

(a) In Psal. 30. (b) De Bono. Patientiæ.

transmisisse injurias. (a) *Qui ad vindictam suam festinat, consideret, quia nondum vindicatus est, qui vindicat.* Motivum, quo hac ipsa in re utitur S. Paulinus, non minus validum, quam amœnum est. Injuriæ injuriam referre, vindictæ, quam homines usurpant, genus est: at vel ipsos hostes amore prosequi, est divino plane more vindictam exerere. (b) *Vicem injuriæ reddere, humana ultio est: at inimicum etiam diligere, vindicta cœlestis.*

Somno divites omnes indulserunt, e quo excussi vacuis se manibus destitutos invenerunt, dicit S. Augustinus. (c) Res ante oculos positas amarunt, & harum amor in soporem eos dedit. Similes redditi sunt homini, qui per somnium inventum a se thesaurum putat. Dum somno tenetur, neminem eo ditiorem credas: depressi sensus ejus felicitatem definiunt, excussus e somno priori se paupertati sentit. *Tam diu dives, quam diu non evigilat. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit.* Si in terra abjectum quem, lecto nempe alio destitutum, somnus occupet, & is molli, & splendido lecto incubare

cubare

(a) De Mortalit. (b) Epist. 2. (c) In Psal. 75.

cubare sibi videatur, dum illusio persistit, molliter cubare, rebusque omnibus affluere se credit, sed cum somno omnis ejus felicitas terminatur. Vide imaginem eorum, quos mundus felices reddit. Affectiones, quas corde circumferunt, amœnum illis somnium conciliant, quo occupati, opes, splendidaque munia tenent: sed somnium opinione citius terminatur, vita evolat, & cum magnus ille æternitatis dies oculos aperit, nihil in manibus suis relictum vident, felicitas somni instar dissipatur, e quo non aliud restat, nisi confusa memoria, & ira; quod putatitiam felicitatem vera miseria exceperit.

Nihil majore affectu vibratum, ac invectiva S. Hieronymi contra Sabinianum, impium Diaconum, qui Virginem nulla insuper habita loci sanctimonia ad scelus impellere non exhorruit. Infelicissime mortalium, scelus animo agitans sacram illam cavernam subis, in qua DEI Filius natus est, ubi veritas e sinu terræ prodiit. (a) *Non metuis, ne infans e præsepi vagiat, ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, stella rutilat, Magi adorant,* *Hero-*

(a) Epist. 48.

Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & in cubiculum Virginis Virginem decepturus irrepis. Horreo tui sceleris atrocitatem tibi exponere. Ecclesia tota admirabile nomen JESU Christi personat, linguæ omnium nationum certant laudes ejus referre, & tu in aditu ejus ipsius loci, ubi olim Christi præsepe, hodie ara stat, literas amatorias meditaris. Quantum scelus! prosequi illud non possum, lachrymæ vocem intercludunt, indignatio, & dolor verba prohibent. Ubi Cicero? ubi Demosthenes, fluvii quin torrentes eloquentiæ? magna utut facundia fueritis, hodie tamen sceleris magnitudine confusi obsurdesceretis? res evenit, quam nulla eloquentia exprimere potest: crimen perpetratum est, quod Comœdus nullus referre, histrio nullus effingere, Poeta nullus describere auderet. *Proh nefas! non possum ultra progredi: prorumpant lachrymæ, antequam verba: & indignatione pariter, ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demostenis! nunc profecto muti essetis ambo. Inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec mimus fin-*

gere, nec ſcurra ludere, nec Attelanus poſſit effari. Infelix, poſtquam in ſacerrimo illo loco cum Virgine eſſe ſuſtinuiſti, an non oculis tuis caligo eſt offuſa? an non linguæ uſum amiſiſti? an non brachia tua paralyſi ſunt correpta? an non cor tuum contremuit, & pedes officio ſuo impares nutarunt? Sanctus ſubinde loquitur de amatoriis Sabiniani literis, & poſtquam dixit, proditum commercium id amatorium fuiſſe ab Angelo Bethlehemitici ſpecus cuſtode. *Ecce Angelus ille Cubiculi Mariæ Janitor, Cunarum Domini Cuſtos ipſe te prodidit;* exclamat: polluti ſunt mei oculi literarum tuarum lectione! nefaſtum diem, quo infandas tuas literas legi! *O funeſtos oculos meos! o diem illum omni maledictione digniſſimum, in quo epiſtolas illas tuas legi. Quæ ibi turpitudines, quæ blanditiæ?* Quomodo Diaconus id genus voces proferre potuit? ſed quid dico? quomodo vel ſcire potuit? Miſerande, ubi linguam hanc didiciſti, qui gloriaris in Eccleſia te educatum? Exhortor te, cinere, & cilicio peccata tua expia, ſolitudine te abde, continuis lachrymis Numinis miſericordiam ſolicita: ſed iniquo animo mea monita accipis, dum verba tibi

bi occino, tuum odium incurri. Sed maledicta, quibus me oneras, mihi dolori non sunt; quis enim non novit, hominem tibi similem non nisi vitia commendare posse? id unum doleo, quod tibi non lachrymeris, quod te mortuum non noris, quod gladiatorum more tuum in funus ornamenta accersas. *Non doleo de maledictis: quis enim nesciat, nihil nisi flagitiosum tuo ore laudari? Hoc plango, quod te ipse non plangis, quod te non sentis mortuum, quod quasi gladiator in proprium funus ornaris.* Sindone tenuissima vestitus es, annulos digitis inseris, dentes pulvere teris, utque calvus sis, raros tamen capillos, qui supersunt, ex arte colligis. *Digitos annulis oneras, dentes pulvere teris, raros in rubenti calvaria digeris capillos.* Præter hæc, unguenta, quæ amœnum odorem spargunt, adhibes, ad balnea concedis, in foris, compitisque oberras ut fatuus amator, quem cæca affectio agit, qui omnium amores venatur. *Per forum, ac plateas nitidus, ac politus amator incedis.* Miserande, redi ad DEUM, ut hic te clemens respiciat. Aliquot lachrymarum stillæ de tuis oculis excidant. Inter hæc ornamenta, quæ tui amor tibi suppeditat,

& per quæ adeo amabilis tibi videris, pauperem te noris, coopertum vulneribus, & fœtore obsitum, pauperibus, qui stipe vitam tolerant, miserabiliorem. *Inter sericum, & linteamina, quibus tibi videris fulgidus, & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidatum, & mendicantem.*

S. Bernardus ad demonstrandum veritati congruere, quod Christus ipse de suo jugo dixit, hoc modo loquitur: An non ex merito leve dici potest, quod non modo non onerat, & deprimit, sed & sublevat, & attollit? (a) *Num vere leve est, quod portantem non gravat? sed levat?* Inquiro, num in mundo quid inveniam, quod simile sit huic oneri, & invenio avium plumas inter ea onera referendas. Admirandum plane naturæ opus, quanto plus massæ, tanto minus ponderis reperitur. *Mirum opus naturæ? unde grossescit materia, inde sarcina levigatur: & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere.* S. Augustinus idem fere jam prius usurparat, ut cogitationem hanc ex eo mutuatus videatur S. Bernardus. Onus invenitur, quod onerat, & deprimit: il-

lud

(a) Epist. 72.

lud Christi sublevat duntaxat, quin pondus sentiatur; plumis simile videtur: spolia avem plumis, onere illam quidem levabis, sed quanto plus ex eo sustuleris, tanto illa minus e terra assurget: ab humo se non attollet; onere enim suo destituta est: redde illi onus suum, & evolabit illico. Non aliud est onus Christi. (a) *Sarcina Christi pennas habet; nam avi etiamsi pennas detrabas, quasi onus tollis, & quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Non volat, quia tulisti onus, redeat onus, & volat. Talis est sarcina Christi.* Cogitatio acuta, veritati tamen congrua est.

Tertullianus DEUM existere ex commotione interna, quam sentimus, dum illum nominamus, imploramus in variis, quæ se offerunt occasionibus, celeberrimum dictum affert. O testimonium animæ, quæ naturæ ductu Christiana est. Non ad capitolium, sed ad cœlum, dum hæc pronuntiat, oculos convertit. (b) *O testimonium animæ naturaliter Christianæ, pronuncians hæc non ad capitolium, sed cœlum respicit.*

(a) In Psal. 59. (b) Apol. cap. 17.

Verba S. Augustini de minis, quas DEUS peccatori intentat, venusta sunt, & severa. DEUS utut minitans parcit, supplicium differt, accinctam ad feriendum manum extendit, arcum adducit, tela se vibraturum dicit: an ediceret, sumpturum se pœnas, si ferire vellet. (a) *Adhuc ipse parcit, manum tenet, arcum intendit: clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire?*

S. Chrysologus per oppositionem mortem Lazari, & divitis Epulonis describit. Quæ rerum mutatio! Angeli in cœlum deferunt pauperem, divitem infernus haurit. (b) *Quam rerum lamentanda mutatio! pauperem portant Angeli: divitem deglutit infernus.* Mors felix pauperis delicias, & gloriam, qua dives per vitam usus fuerat, extinguit, obscurat splendorem apparatus funebris. Ut quid pompa funebris nobis illudit? funus divitis numerosa servorum turba lugens, in terram dejecto vultu, lachrymis perfusa deducit: pauperem triumphali plane more innumerabilis Angelorum multitudo suavissimos inter cantus cœlo infert. *Quare sic exequiarum pompa mentitur? funus divitis ante-*

tece-

(a) In Psal. 44. (b) Serm. 121.

tecedit lugubris turba servorum, feretrum pauperis præcedit Angelorum psallentium multitudo.

In peccantes nos, dicit S. Hieronymus, nunquam DEUS acriore exardet ira, quam dum eam nullo indicio prodit. Non alia illius ira magis est metuenda, quam dum eam nullo signo contestatur. (a) *Magna ira est: quando peccantibus non irascitur DEUS.* S. Paulinus hac ipsa de re, ea bonitate est, inquit, supremus hominum conditor, ut, utut ipsa illius ira a misericordia proficiscatur, neque pœnas alio fine, quam ut ignoscat, usurpet. *Tanta est summi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex misericordia sit, & ideo castiget, ut parcat.*

S. Augustinus digna se de æterna beatitudine sentit. Unam rem a Domino petii, neque prius conquiescam, quam ejus compos reddar, ut domum Domini mei, dum vita supererit, incolere, eum videre, & videndo vera felicitate perfrui possim. Ne metue, ne in ejus aspectu fastidium te subeat. Pulchritudo, quæ ne cogitatione quidem satis exprimi potest, tantum illecebra-

(a) Epist. 33.

rum continet, ut quamvis nunquam non oculi in ea defigantur, nunquam tamen aspectu fatiget. Aspectus hic nunquam satiat, vel potius eodem tempore satiat, & non satiat. Si enim dicerem vestrum desiderium non explendum, fames vobis reliqua esset, si satiandos vos dicerem, tædio afficeremini, cum tamen ibi nec famis, nec tædii quid sentiatur. Quibus verbis ad exprimenda animi mei sensa utar, non novi, at suppetit DEO, quo eorum votis respondeat, quibus verba desunt opportuna evolvendis mentis cogitatis, & qui credunt liberali a DEO munere adjici ea posse, quæ ipsi animo assequi non possunt. (a) *Talis erat illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & nunquam satieris, imo semper satieris, & nunquam satieris. Quid dicam, nescio: sed DEUS habet, quod exhibeat non invenientibus, quomodo dicam, & credentibus, quod accipiant.*

Author libri, qui S. Augustino adscribitur, bene spiritum hujus Sancti assequitur, dicens: Gustate, & videte, qua dulcedine suos Dominus repleat: quis suavitati huic exprimendæ par erit?

(a) Tract. 3. in Joann.

rit? nec vos quidem beatæ mentes, quæ ea tamen dulcedine perpetuo pascimini nobis qui nunquam quidquam illius delibavimus, dignos ea sensus ingenerare potestis. (a) *Tantæ suavitatis magnitudinem vos, qui experti estis, nobis, qui nunquam tale quid gustavimus, intimare potestis.* Non admodum ardua res est, ut dicatur nobis, nihil melle dulcius esse, at si illud nunquam gustavimus, obscura erunt, quæcunque fama accipiemus; at gutta una linguæ imposita dulcedinem ejus melius, quam accuratissimus sermo instillabit.

(b) *Esse Christianum*, dicit S. Chrysostomus, *grande est, non videri.* Idem Doctor sapientiæ plenum monitum suggerit Christianæ Virgini, ad quod mores illa suos exigat. Non age, ut magis, quam oporteat, devota, humilisque videaris, ne fugiens gloriam eam aucupari videaris. Evenit enim sæpius, ut multi hominum oculis amorem in pauperes, & jejunia subducere volentes, eo ipso placere vellent, quod nulla placendi cura tangi viderentur: nescio qua ratione accidit, ut laudes tum maxime desiderentur, cum contemnuntur.

 Nec

(a) Lib. de spiritu, & anima. (b) Epist. 13

Nec neglectus admodum vestitus, nec, quam oporteat, splendidior habitus Christianum decet. (a) *Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quam necesse est: nec gloriam fugiendo quæras. Plures enim misericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes hoc ipso cupiunt placere quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur; nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano.*

Tertullianus in sua Apologia ridet Gentiles, suis libris inserentes, ipsos Deos infestis inter se armis concurrisse, hos Trajanorum, Græcorum illos subsidio, ceu athletæ, aut gladiatores committerentur, Venerem telo hominis perstrictam, Martem tredecim ipsos menses vinculis oneratum præ desperatione de consciscenda sibi morte cogitasse, Jovem monstri auxilio ab ea injuria, quam Dii reliqui inferre paraverant, exemptum fuisse. Commemoratis pluribus id genus eventis, & majore adhuc risu dignis, probrosis Diis, & divinitate indignis, e Poetis, & Philosophis petitis adjungit: Nescio, an non Dii vestri justiorem de vobis, quam Chri-

(a) Apol. cap. 15.

Christianis expostulandi causam habeant. (a) *Nescio, ne plus de vobis Dii vestri, quam de Christianis querantur.*

(b) Quam jure omni, exclamat S. Augustinus, opera DEI, quæ in nostros incurrunt oculos, admirationem omnem deposcunt. Quæ pulchritudo! quæ magnificentia! quæ in cœlo, & astris varietas! in sylvis, & campis, in animalibus, & plantis occurrit! quæ amœnitas sub primum ver videre terram pictam tam diversis floribus, aerem confertum tot vulneribus, quibus nec cantus, nec eædem plumæ sunt: quod spectaculum videre mare tot colores referens jam agitatum fluctibus, jam tranquillum, nunquam non pulchrum, & tanto aliquando in ipsa perturbatione pulchrius, quod vel in se multas placendi, nullam pavoris causam habeat. *Quam porro delectabiliter spectatur, etiam quandocunque turbatur? & fit inde major suavitas, cum sic demulcet intuentem, ut non jactet, & quatiat navigantem.* Quam exquisitos ad depellendam famem cibos provida Numinis cura nobis sepotuit? quam diversos sapores his ipsis cibis ad proliciendam famem, quin coquo-

(a) Apol, c. 15. (b) Lib. 22. c. 24. de Civit. Dei.

coquorum ars in subsidium vocetur, indidit? de quantis non ipsi naturæ remediis ad conservandam, revocandamque sanitatem providit? quam amœna est diei, & noctis vicissitudo? quam mirandus est status adeo, & constans ordo temporum? & hæc omnia non nisi miserorum solatium, non felicium remuneratio sunt. *Et hæc omnia miserorum sunt, damnatorumque solatia, non præmia beatorum.*

Salvianus vivaciter describit corruptelam Christianorum in Africa, qui variis utut calamitatibus jactati adeo his icti ad meliorem frugem non redierunt, ut magis in fœdiorem morum licentiam prolaberentur. Quis furorem satis exequatur? Barbari Carthagini armati circumfusi erant, Christianis Carthaginensibus interim circo, & theatri spectaculis vacantibus. Extra urbem non nisi cædem, ipsa in urbe nisi dissolutionem, gaudiaque videre erat. (b) *Alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur.* Clamor pugnantium, & ludentium permiscebatur quodammodo. Lugubris morientium gemitus confundebatur cum jubilo bacchantium: vix discer-

(a) Lib. 6. de Prov.

discernere licuit gemitus militum, qui in pugna occubuerunt, a clamore, applausuque populi, quem in circo sustulit. *Fragor*, ut ita dixerim, *præliorum, & ludicrorum confundebatur: vox morientium: voxque bacchantium; ac vix discerni poterat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & sonus populi, qui clamabat in circo.* Quid aliud facinorosi adeo homines egerunt, nisi ut DEUM, qui illorum ruinam nondum constituerat, invitum velut adigerent, ut eos funditus exscinderet. *Quid aliud talis populus agebat, nisi ut cum eum DEUS perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret, ut periret?*

Tertullianus, ut edoceat, nemini non in hostes Principis, & publicæ felicitatis pugnandum esse nervosa hac expressione utitur. (a) *In reos Majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est.*

Non aliud malum magis metuendum, quam cujus ipsi authores sumus cupiditates nostras sequendo. DEUS nos bonos servos condidit, dicit S. Augustinus, & nos in corde nostro pessimis dominis imperium constituimus. Mere-

(a) Apol. cap. 2.

Meremur in Mancipatu affectionum indomitarum vivere, & sub tyrannide dominorum, quibus ultro imperium detulimus, gemere, postquam ejus, qui nos condidit, jussis morem gerere detrectavimus. (a) *Te Dominus bonum servum fecit: tu tibi in corde tuo malum Dominum creasti. Merito subderis Domino, quem tibi ipse fecisti, quia ei, qui te fecit, subditus esse noluisti.* Jugo Domini excusso nemo e servitute exit: peccatores, ut volent, quærant libertatem, parere abnuant, nunquam tamen mancipatum excutient, lucri non aliud facient, dum DEO servire abnuunt, quam quod bono Domino obsequi recusent. *Nihil aliud agunt, quam ut bono Domino non serviant.*

Utut splendor sæculi, & vestium luxus abdicetur, affectionum tamen tyrannis nondum propterea ponitur. Concupiscentia, teste S. Hieronymo, non minus suum imperium in pannos, quam sericum exercet: non veretur Regum purpuram, nec mendicorum lacernam contemnit. (b) *In serico, & in pannis eadem libido dominatur: nec Regum purpuras timet, nec medicantium sper-*

(a) In Psal. 18. (b) Epist. 9.

spernit squallorem. Præcipuam hujus cogitationis elegantiam apta expressio constituit.

Quod sanctus Bernardus dicit ad animandum Christianum, qui ob diuturnitatem calamitatum animos desponderat, nativo candore scriptum, simul tamen illustre est. Ita sane, prorumpe in quærelas, dic, longo jam nimium tempore his te adversis premi, lassatam tuam patientiam iis longius tolerandis imparem. Quod toleras, momento absolvitur, quo vota, spesque tuas post ærumnarum finem porrigis, finem ignorat. Cur dierum, annorumque numerum inis? evolat tempus, & cum tempore transit & adversitas, sed gloria, quæ adversitatem excipit, nunquam elabitur: hac integra, & tota æternitate frui licebit. (a) *Quid tibi dies, & annos numeras? transit hora, transit & pæna; non sic gloria; nescit vicissitudinem, nescit finem; manet & tota simul, & manet in æternum.* Hac in vita singulis diebus sua ærumna respondet, quodque nobis crastino die tolerandum erit, id hodie nondum sentimus; sed illo die, quem non alius consequitur, merces nostris

(a) Serm. de fallacia præsentis vitæ.

noſtris laboribus referetur: illo nempe die, non illis diebus, qui mihi coronam juſtitiæ, quam expecto, decernet. Unam diem, mi DEUS, in domo tua agendam mille aliis alibi traducendis præfero. Guttatim duntaxat vitæ hujus adverſa bibuntur, ſed paradiſi dulcedines torrentes ſunt, qui inundant, & Sanctorum cor mergunt: fluvii ibi pacis, & gloriæ, teſte Spiritu ſancto, procurrunt, qui ſe effundunt, quin exſiccentur, quibus nunquam aquæ vivæ, & abundantes deſunt. Hæc juſtorum remuneratio pondus gloriæ eſt, non palatium magnificum, non ſplendida veſtis, ipſa gloria juſtis promittitur. Non ſpondetur res, quæ gaudium afferat, ipſa remuneratio gaudium, & quidem illime, experſque præmixtionis omnis eſt.

In vitia ipſa virtutum via delabi poſſumus, ut acute obſervat S. Paulinus. Modum niſi juſtum teneamus, cum vel demiſſionem ambimus impelli poſſumus. (a) *Per ipſas virtutum vias in vitia delabi poſſumus, & niſi certo ſtatu dirigentes animi momenta libremus, de ipſa humilitate capiemus ſuperbiam.*

Nun-

(a) Epiſt. 26.

Nunquam ſatis invigilari poteſt oculis, ne alicubi effluant: duo exempla Evæ, & Dinæ rem abunde conficiunt, ſancto Bernardo teſte, qui ita loquitur in ea Geneſis verba: (a) *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis.* Quid intentos uſque adeo oculos in id defigis, quod mortem tibi inferre poteſt? cur adeo ſæpe contemplaris? cur ſpectare tibi libet, quod in cibum vertere minime integrum eſt? Dices, oculos eo verto, non extendo manum; aſpectu fructus mihi non eſt interdictum, eſu duntaxat arceor. At forſan mihi oculos, quorum penes me eſt arbitrium, quo placet, objecto recreare eſt nefas? (b) *Quid tuam mortem tam intente intueris? quid ſpectare libet, quod manducare non licet? oculos, inquis, tendo, non manum; non eſt interdictum, ne videam, ſed ne comedam. An non licet oculos, quo volo levare, quos DEUS in mea poſuit poteſtate?* Sed reponit S. Bernardus: cave, ne tua facilitate deludaris, ſi aſpectus quidem ipſe inter crimina numerandus non eſt, at ad illa deducit: perpetratum jam crimen

u docet,

(a) Gen. c. 3. v. 6. (b) Tractat. de gradib. humilitatis.

docet, propterea quod non, quam deceret, vigilem in te curam intendis, alia ab illo ſcelera originem ducent, ſi provida cura, vigilantiaque abſuerit. *Etſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & judicium commiſſæ, & cauſa committendæ.* Nam interim dum his immoraris, ſerpens in cor tuum irrepit, blanditiis te demulcet, illecebris ſuis rationem tuam obnubilat, metum omnem ſuis mendaciis tibi adimit, te minime morituram ſpondens. Venenum, quo enecaberis, hauris, & hoc veneno perdita in mundum edes, qui ſimillimum tuo, funeſtum nempe ſortientur exitum. *Hauris virus peritura, & perituros paritura.*

Mentionem de Dina injiciens Sanctus, quæ regionis, in qua cum Jacob degebat, fœminas viſura in publicum ſe intulerat, ita eam alloquitur. Quid opus eſt exteras has fœminas videre? etſi tu illas, mali nihil animo deſignans, videas, non alii tamen perinde innocuos in te conjicient oculos. Curioſitatem tu eas videndo paſcis, alii multo magis noxiæ curioſitati te aſpectando indulgebunt. Quis animo finxiſſet unquam futurum, ut hæc otioſa curioſi-

riositas, vel curiosum otium funestos adeo eventus tibi, tuis, & inimicis ipsis allaturum esset, *& si tu otiose vides, sed non otiose videris. Tu curiose spectas, sed curiosius spectaris, Quis crederet tunc illam tuam curiosam otiositatem fore post sic non otiosam, sed tibi, tuis hostibusque tam perniciosam?*

Si assensus S. Augustino præstandus, vitiis vel fœdissimis inest species quædam, quæ deludit, & quæ nescio umbra pulchritudinis, quæ ipsas DEI perfectiones æmulatur. (a) *Est quædam defectiva species, & umbratica vitiis fallentibus:* nam superbia imitatur magnitudinem, & DEI Majestatem: dum tamen tu solus DEUS supra res omnes attolleris. Quid ambitio præter honores, & gloriam quærit? nemo tamen præter te est, qui cultum sibi jure vindicare possit. Crudelitas omnibus terrorem cupit injicere, cum tamen nemo præter DEUM, cujus nempe potentiam nullus effugere potest, sit metuendus. Avaritia ad omnium rerum possessionem vota sua porrigit, dum tuo tamen, mi DEUS, dominatui omnia subjecta sunt. His dictis subjicit Sanctus: omnes,

(a) Conf. lib. 2. cap. 9.

nes, qui ſe tibi ſubducere, & in te inſurgere, mi DEUS, conantur, te imitantur, ſed modo difformi prorſus, & ſcelerato: ſed hac ipſa imitatione ſatis comprobant, conditorem te rerum omnium eſſe, uſque adeo, ut a te prorſus aberrari non poſſit, quin in ipſo ſcelere quædam utut obſcura veſtigia pulchritudinis tuæ conſerventur. *Perverſe te imitantur omnes, qui longe ſe a te faciunt, & extollunt ſe adverſum te. Sed etiam ſic imitando indicant, creatorem te eſſe omnis naturæ; ideo non eſſe, quo a te omnino recedatur.*

Ut quis a peccato immunem ſe præſtet, ipſam peccatorum umbram, & vel minimas occaſiones vitare oportet. Tertulliano teſte peccata enormia prorſus, quæ vel fœditate ſua terrent, minus non raro damni afferunt, quam diſſolutiones non admodum magnæ, quæ inſtar recepti jam per orbem commercii accipiuntur. (a) *Graviora quæque delicta pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obſervationis.* Nam animæ, quæ meliore quodam igniculo animantur, vel ad mentionem gravioris delicti ſacro horrore ſuccutiuntur, obſiſtunt ſceleri-

(a) De Idol. cap. 11.

leribus, quæ in oculos incurrunt: ſed non ſatis contra leviora delicta ſe obmuniunt, quæ non uſque adeo primum percellunt, & quorum malitia non illico ſentitur: non ſatis iis ſibi interdicunt, quæ nulla lege vetita autumant: & ideo tanto acriorem vigilantiam intendere oportet, quanto minus metus cauſa aliqua ſubeſſe videtur.

Quam dignum DEO ſpectaculum, ait Minutius Felix, videre Chriſtianum doloribus colluctantem, qui minas tyrannorum magno animo tolerat, tortorum crudelitatem, ſuppliciorum acerbitatem, & Regibus, mundique Principibus vultu libero, & magnanimo obſiſtit: ſoli DEO, cujus a nutu dependet, cedit, ſui denique, aliorumque victor nobili libertate ipſi judici, a quo morti addictus eſt, inſultat. (a) *Quam pulchrum ſpectaculum DEO, cum Chriſtianus cum dolore congreditur, cum libertatem ſuam adverſus Reges, & Principes erigit, ſoli DEO, cujus eſt, cedit; cum triumphator, & victor ipſi, qui adverſus ſe ſententiam dixit, inſultat.*

(a) In Octavio.

Viso DEO in crucem acto, & in eadem emoriente, S. Augustinus dictum multarum cogitationum ferax enunciat. Grande spectaculum, mei fratres, grande spectaculum! si impii in illud oculos vertunt; magnam ex illo risus, & ludibrii materiem petent: si pii; magnum in illo mysterium detegent. (a) *Grande spectaculum, fratres mei, grande spectaculum! si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium.* Tertullianus, qui nunquam non gravibus abundat sententiis, quandoque etiam paulo duriores cogitationes in medium affert, de eodem argumento audaciorem paulo cogitationem profert, quæ formidine primum quadam percellit spiritum, & a vero abludere videtur, accuratius tamen perpensa vera reperitur. DEI filius mortem oppetiit, inquit, ad fidem id pertinet; quia absurdum, & a ratione abludere videtur: DEI Filius ad vitam e sepulchro rediit: certum hoc, atque extra omne dubium positum est, quia naturæ viribus repugnare videtur. *Mortuus est DEI Filius; credibile est, quia ineptum est: & sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est.* Vide, quid voces

(a) Tract. 117. in Joann.

ces hæ abditæ adeo & myſterii plenæ contineant. Mors Filii DEI ex una in humanum genus charitate profecta, nequaquam ad humanæ prudentiæ regulas exacta erat: cui riſu dignum videtur, DEUM emori, innocentem perire, ut ſontes exitio ſubducantur; nihil plus fidei huic myſterio addit, quam quod hominibus nullo modo cum recta ratione congruere videtur. Ut Chriſti reſurrectio viribus naturæ omnibus ſuperior eſt, & non niſi inter opera divinæ virtutis referri poteſt, ita certum eſt, DEUM hominem novam vitam recepiſſe, quia naturæ viribus fieri non poterat, ut ad vitam revocaretur.

Idem Tertulianus alio in loco de Baptiſmo loquens: quid cauſæ, inquit, quod per paucas aquæ ſtillas novam homo vitam ſortiatur, peccatum deleatur, mors aboleatur? Res miranda prorſus, quæque fidem tanto prope magis meretur, quanto minus credi poteſt. Non enim æquum eſt, ut DEI opera ea omnia, quæ admiramur, ſuperent, injicere debent eam admirationem, quæ nos nobis velut eripiat. (a) *Nonne mirandum, & lavacro dilui mortem? at*

 quia

(a) De Baptiſmo.

quin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem. Nos admiramur; sed quia credimus. Infideles admirantur, & non credunt, mirantur enim res minutas, & ludicras, quæ primo aspectu simplicitatem suam produnt, & opera magnifica inter ea reponunt, quæ minime evenire possunt. *Mirantur enim simplicia, quasi vana: magnifica, quasi impossibilia.* Idem Tertullianus alio loco dicit, nunquam DEUM majorem esse, quam quando homo parvum eum judicat. (a) *DEUS tunc maxime magnus, cum homini pusillus:* ceu mysterium tanto magis divinum esset, quanto minus rationis in eo homo invenit. Id ipsum permovit Zenonem Veronensem, ut diceret: DEI est, perpetrare miranda adeo, quæ omnem intelligendi vim superant, & quæ vix credi possunt. (b) *Hæc enim proprietas est DEI, id operari, quod non potest credi.*

Idem Sanctus Zeno admirando modo demonstrat, quam Christiana spes necessaria sit. Sine spe, dicit, omnia ho-

(a) Lib. 2. contra Marcion. cap. 2. (b) De Resurr.

homines inter languent: proſcribe ſpem, artibus nullus honor erit, virtuti nemo ſe dabit: tolle ſpem, omnia pereunt, emoriunturque. (a) *Tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes, virtutesque ceſſabunt. Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia.* Cur parvulus ſub inſtitutore literis vacabit, ſi nullum ex his lucrum ad ſe rediturum ſperet? Cur Navarchus navim ſuam procellis, fluctibusque exponit, ſi portum non ſperat contingere? Cur miles contemnit non dico hyemis rigorem, & æſtatis calorem, ſed vitam ipſam, ſi ſpe gloriæ non animatur? Cur colonus ſemen terræ mandat, ſi divitem meſſem laboribus reſponſuram non credit; Cur Chriſtianus in Chriſtum credit; ſi non ſperat æterna felicitate a Chriſto promiſſa aliquando donandum. *Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi proximum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum?*

Quod tyranni primis naſcentis Eccleſiæ temporibus Martyres indui juſſerint veſtibus pice, ſulphureque perſperſis, circum eos ſuccenſis rogis, ut lento igne vivi conſumerentur, Ter-

(a) Serm. de Spe.

tullianus exclamat: Quidquid demum agatis, vincimus, dum hoc modo perimus: hoc ornamentum nostræ victoriæ est, hæc vestis triumphalis, rogus, in quo corpus nostrum in cineres redigitur, currus triumphalis vices obit. (a) *Vincimus, cum occidimur, hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.*

Animadversio S. Augustini in hominum curam, qui exacte loqui student, parum anxii, quam vitam ducant, sententiis gravibus plena est. Vide, Domine, ut homines magna solicitudine regulas de literis, & syllabis, quas a primis Grammaticæ Magistris acceperunt, observent, & ut negligant latas a te leges morum disciplinam, & salutem docentes. (b) *Vide, quomodo diligenter observent filii hominum pacta literarum, & syllabarum, accepta a prioribus locutoribus: & a te accepta pacta perpetuæ salutis negligant.* Ille, qui latina lingua aliquantum imbutus est, qui profitetur, linguam se hanc vel nosse, vel docere, si contra quam Grammaticæ leges præscribunt, *ominem* efferat, quin primæ syllabæ aspirationem adjun-

(a) Apol. cap. 50. (b) Conf. lib. 1. cap. 18.

jungat, magis homines, qui eum loquentem audiunt, offendit, quam si violans præcepta Numinis, hominem eodem sibi naturæ vinculo conjunctum acerrimo odio persequatur. *Si contra disciplinam Grammaticam sine aspiratione primæ syllabæ* ominem *dixerit, quam si contra tua præcepta hominem oderit, cum sit homo.* Suam cogitationem Sanctus prosequitur, & illustrat, DEUM alloquens. Quam hominum oculis subducta, quæque nulli scrutari licet, tua judicia sunt, DEUS gloriæ, & majestatis, qui in summo cœlo stabilem tuam sedem defigis, qui solus magnus es, & stabili justitiæ tuæ lege ad puniendas affectiones indomitas cæcitatem in eos immittis, qui illis abripi se patiuntur. *Quam tu secretus es, habitans in excelsis in silentio DEUS, solus magnus, lege infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Dum homo, qui eloquentiæ famam ambit, coram judice multis præsentibus in hostem, in quem infesto animo est, perorat, cavet, ne verbum elabatur artis regulis repugnans, non autem metuit, ne ira provectus longius quid effutiat, quo hostem de vita deturbet. *Vigilantissime cavet, ne per linguæ er-*

rorem

rorem dicat inter hominibus, *& ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cavet.*

Scriptura subinde, ut Noemi Genealogiam illustriorem reddat, justi prærogativam ad compellationem hominis adjungit. Nomen justi virtutes omnes complectitur, utque certius teneatis, illum, cui elogium scribitur, pervenisse ad virtutum apicem, perfectus nominatur; talis nempe, qui muneris sui rationes omnes explevit, virtutes, quibus perfecti nomen absolvitur, coluit. Qui nihil eorum, quæ exequi tenebatur, omisit, in inchoato melioris vitæ proposito firmus perstitit, sui ævi homines virtute superavit, & eo quidem tempore, quo unum vitiorum certamen erat, ne virtutis quidem vestigio ullo relicto. Et hanc Noemi Genealogiam sacræ litteræ appellant.

Non multum ab his cogitaionibus S. Ambrosius in eundem Genesis locum abludit. Virtus una viri boni nobilitatem absolvit: ut enim præclara merita majorumque gloria illustres reddunt familias, ita virtutes ipsæ magnas animas

nobi-

nobilitant, illuſtrioresque reddunt. (a) *Probati viri genus, virtutis proſapia eſt; quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt.*

S. Auguſtinus memoranda annotat de duobus illis viris, qui in Aula Theodoſii præclaris fungebantur muneribus, & cum Imperatore Treviris degentes, reſpiraturi a curis extra urbem liberam auram captabant: ubi forte repertam in caſa S. Antonii vitam voluturunt, ſub ipſa autem lectione divino amore ſucceniſi, acribusque ſtimulis ad deſerendum mundum compulſi, ita loquebantur: Edic amabo, quo demum per hos, quibus nos addicimus, labores eluctari poterimus? quid quærimus? quem ſcopum noſtris muniis deſignamus, licetne vel voto ad majus aliquid aſpirare, quam ut gratiam a Cæſare ineamus? & quid tamen fragilius, quid periculis plenius, quam favor Principum? quantum periculorum ſubeundum, ut illud demum teneatur, quod maximis periculis confertum eſt? (b) *Majorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam ut amici Imperatoris ſimus?*

&

(a) De Noe & arca cap. 4. (b) Confeſſ. lib. 8. cap. 6.

& ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quod pericula pervenitur ad grandius periculum. At si Dei amicitiam ambio, eo ipso, quo eam quæro tempore, jam consecutus sum. Cogitationes hæ non solum moribus corrigendis aptæ, & e Christi legibus petitæ, sed justæ, & mira exprimendi vi præditæ sunt.

Idem Pater, postquam palam professus est, spectaculis se apprime delectatum fuisse, in quibus tamen non nisi miserias suas expressas contuebatur, & quæ impurum, quo terrebatur, ignem alebant, proponit quæstionem acutam, & ingenii plenam. (a) *Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.* Quæ causa, dicit, quod homines, qui spectaculis adsunt, doloris sensu perstringi velint, res funestas, tristesque spectando, quas tamen perpeti ipsi abnuerent? Tolerare tamen quidpiam ipsi volunt, ipso ex aspectu dolorem sentire cupiunt; sed dolorem, e quo gaudium hauriunt. Sed an non id languor spiritus, & stultitia miseratione digna est. *Quid est, quod ibi ho-*

mo

(a) Confess. lib. 2, cap. 2.

mo vult dolere, cum ſpectat luctuoſa, & tragica, quæ tamen pati ipſe nollet? & tamen pati ex iis dolorem vult ſpectator, & dolor ipſe eſt voluptas ejus. Quid eſt, niſi miſerabilis inſania?

Tertullianus colligit omnia, quæ ornatum muliebrem contemptum poſſunt reddere, cui tamen fœminæ impenſe adeo ſtudent. Quid aurum, ait, quid argentum? terra haud dubie illuſtrior, poſtquam terræ nomen ignibus cruciata amiſit, poſtquam laſſavit facinoroſos criminum ergo ad metalla damnatos, poſtquam hi mille maledicta in metalla, quibus exercendis addicuntur, effuderunt: terra eſt, quæ e fornace educta, in quam ceu torturam conjecta fuerat, ornamentum, delicias, & gloriam fœminarum hujus ævi abſolvit. (b) *Terra ſcilicet plane glorioſior; quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ vi igni reliquit; atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honorem metalli refuga mutatur.* Dicit deinde, gemmas, quæ de prærogativa cum auro certant, & auro ad augendam noſtram ſuper-

(a) De cultu fœmin. cap. 1.

ſuperbiam includuntur, non aliud eſſe, niſi minutos ſilices, & terræ velut abortus: illud, quod ambitio in diſſitis maribus piſcatur, magis vitiatum excrementum, quod in oſtreis formatur, quam pretioſum theſaurum nominari oportere: margarita non niſi maſſam craſſiorem, duram, rotundam, conchæ inhærentem dici poſſe, quæque ſuum pretium nomini, quod illi adjungitur, debet. *Si concha illæ aliquid intrinſecus poſtulat, vitium ejus magis debet eſſe, quam gloria: & licet margaritum vocetur: non aliud tamen intelligendum, quam conchæ illius aliqua dura, & rotunda verruca.*

Denique ſuam in fœminas ſatyram ita concludit: Hæc omnia pretium, deliciasque ſuas non aliunde petunt, quam quod raro reperiantur, & in regionibus procul remotis naſcantur: in eo, in quo proveniunt loco, vix ullum pretium ferunt, abundantia ſemper contemptum inducit. *Hæc omnia de raritate, & peregrinitate ſola gratiam poſſident. Semper abundantia contumelioſa in ſe ipſam eſt.* Populi, apud quos aurum naſcitur, eoque affluunt, facinoroſis in carceribus aureas compedes injiciunt, ſceleratos

ratos divitiis onerant, usque adeo, ut quanto ditiores sunt, tanto atrociorum criminum magnitudine cumulentur. Ita arcanum illud aliquando homines aliqui detexerunt, scire, aurum in odium adducere. *Divitiis malos onerant: tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando revera inventum, quomodo aurum non ametur.*

Lactantius irridet Romanos, qui Deos inter referebant præstantissimos belliduces, rati, non aliam ad immortalitatem patere viam præter arma, expilationem provinciarum, vastitatem urbium, populorum cædes, aut servitutem. Quousque, inquit, vester furor prorumpit? quanto quisque plures homines fortunis suis spoliavit, quanto plures de vita deturbavit, tanto nobilior ducitur. Perstricti splendore fictitiæ gloriæ inter virtutes atrocissima crimina reponunt. (a) *Videlicet, qui plures homines afflixerint, spoliaverint, occiderint, eo se nobiliores, & clariores putant. Inanis gloriæ specie capti, flagitiis, sceleribusque suis nomen virtutis imponunt.* Optarem magis, adjungit ridens ambitionem Romanorum: optarem

(a) Divin. Institut. lib. 1. cap. 18.

magis belluarum, quam hominum cædibus inter Deos se referrent. Apotheosis illorum non adeo sanguinolenta, crudelisque futura fuerat. Si quis hominem perimat, sceleratus, nefastus, indignusque Deorum domicilio habetur, at si hominum Myriades de vita dejiciat, si humano sanguine agros, fluviosque tingat, inter Deos evectus non templa modo, sed & cœlum tenet. *Qui infinita hominum millia trucidaverit, cruore campos inundaverit, flumina infecerit, non modo in templum, sed etiam in cælum admittitur.* Ratiocinationem hanc demum admirandis prorsus cogitationibus concludit. Si hoc immortalem nobis gloriam parit; mori, quam ingentem hominum vim perdere, malo. Si immortalitas non nisi sanguine paritur, quæ demum sors nostra erit, si pacatam omnes, & a belli turbinibus submotam vitam ducere constituant? Nemone dignus erit, quem cœlum suos inter accipiat? num nullus virtuti locus per orbem erit; quia homines mutua in se crudelitate desævire abnuent? *Num igitur nemo erit cælo dignus? num peribit virtus; quia hominibus in homines sævire non dabitur!*

Idem

Idem Pater, ut demonſtret, nativum candorem brevis, & præciſi ſacrarum literarum ſtyli Majeſtati Numinis apprime convenire; admirande ſane dicit: Locutus eſt DEUS modo, quo loqui DEUM, & ſupremum rerum omnium Judicem oportebat, cujus eſt non multis argumentis dicta ſua ſtabilire, ſed aſſere veritates, quas homines docere conſtituit. (a) *DEUS, ut oportuit, eſt locutus, quaſi rerum omnium maximus Judex, cujus non eſt argumentari, ſed pronunciare verum.*

Quicunque prodigia quærit comprobandæ magis fidei, magnum ipſe prodigium eſt, dicit S. Auguſtinus, qui mundo fidei veritate colluſtrato unus diſſentit. (b) *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* Quo dicto Sanctus innuit, maxima inter prodigia numerandum, mundum ad fidem adductum duodecim pauperum piſcatorum miniſterio, quibus nulla habilitas, nulla eloquentia, tantoque operi neceſſaria poteſtas aderat: neque aliud quidquam veritatem noſtræ religionis

(a) Divin. Inſtitut. lib. 3. cap. 1. (b) De Civit. Dei lib. 17. cap. 18.

gionis melius comprobare, atque fortuitam adeo mutationem, quam tamen Sapientes, Optimatesque omnes impedire conabantur. Demonſtrat etiam riſu dignum, inſolensque prorſus eſſe, fidei veritatibus obſiſtere, quibus tamen Sapientiſſimi ea, quæ parvulos decet, docilitate ſe ſubmiſerunt.

Acrimonia plenum eſt, quod S. Hieronymus ad Nepotianum ſcribit de quibusdam, qui humilibus orti natalibus, ſua omnia Religioſo vel Eccleſiaſtico ordini debent. Nonnulli, dicit, in monaſterio opibus redundant, qui paupertate prius colluctabantur: ſub paupere JESU ſtipendia facientes affluunt omnibus, qui divitis, & receptoris diaboli caſtra prius ſecuti, vix, quo vitam tolerarent, habuerant: ut Eccleſia ingemiſcat, videns opibus eos cumulatos, quos mundus ut miſerandos, & omnibus deſtitutos nullo in loco habuit. (a) *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quam fuerant Sæculares: & Clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete, & fallace diabolo non habuerant: ut ſuſpiret eos Eccleſiæ divites, quos mundus ante tenuit men-*

(a) Epiſt. 2.

mendicos. Probrosum est, adjungit Sanctus, sacerdotes idolorum, comicos, meretrices succedendi jure non excludi, solos monachos, & sacerdotes hæreditatibus prohiberi, & quidem non a persecutoribus Ecclesiæ, sed Principibus Christianis hanc legem latam. Nec tam de legis injuria, quam de nobis queror, quorum avaritiæ constringendæ ea lex constitui debuit. Cautio legis sapiens non minus, quam provida est, impar tamen nostræ avaritiæ justos intra limites cogendæ. Nos e legum vinculis obtentu fidei commissorum elabi volumus & quasi imperia Cæsarum majus apud nos pondus, quam Christi haberent, leges metuimus, Evangelium proculcamus. *Non de lege conqueror, sed doleo, quod meruerimus hanc legem. Provida, severaque legis cautio, & tamen non refrænatur avaritia. Per fidei commissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus.* Idem Pater, ut in ruborem det quosdam Ecclesiæ Ministros; ita eorum sermonem refert: natus in straminea, propeque diruta casa, cum vix panis mucidi fragmen in diurnum alimentum suppetebat, missus exquisitos

fastidio: genera piscium, nominaque teneo: novi, in quo mari, quo in littore meliora insideant ostrea: ex sapore, qua in provincia quævis avis nata sit, agnosco: raritas, & exaggeratum ciborum pretium delicias mihi faciunt, usque adeo, ut quo lautum prandium struam, meæ etiam valetudinis detrimentum facere pensi non habeam. *Saporibus avium distinguo provincias: & ciborum me raritas ac novissime damna ipsa delectant.*

Purus amor DEI, de quo sæpe adeo locuti sumus, & de quo vix amplius aliquid adjici posse videtur, subtiliter, & ingeniose a S. Bernardo describitur. Amor sibi sufficit, placet & per & propter te ipsum: ipse sibi suum meritum, & sua remuneratio est: & ut extra se non quærit causam amandi aliam, ita nec aliud lucrum in amando quærit: lucrum, cujus spe tenetur, est amare. Amo, quia amo, ut amem. (a) *Is per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor. Præter se non quærit causam, non fructum: fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo, amo, ut amem.*

Cogi-

(a) In Cant. Serm. 83.

Cogitatio, quæ ponderosa adeo inter reliquas Paschalis reperitur, pertinens ad religionis negotium, quamque partem in ea homo sapiens amplecti debeat, petita est ex Arnobio, qui amplectendam ait religionem Christianam ab homine saluti suæ volente consulere, quam qui acciperet; eum nihil non sperare posse: qui rejiceret; nihil non timere debere: ille ad convincendum infidelem, & sectatorem libertatis argumentis his utitur. Cum geminas inter res, quarum certitudinem ad liquidum explorare non licet, anceps quis nutat, an rectæ rationi magis congruum e duabus incertis his rebus, & quarum eventus dubius, ei magis fidem adhibere, e qua spem concipere possumus, quam eam, in qua nihil nobis spei relinquitur. (a) *Nonne purior ratio est ex duobus incertis, & in ambigua expectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas.* Nullum enim periculum, damnumve incurrimus, si, quod nobis promissum est, non eveniat: magno contra obruimur infortunio, si ipse rei eventus nos nimium quam sero edoceat, illud, quod propositum

(a) Advers. Gentes lib. 2o.

ſitum nobis fuit, nihil fabulæ, mendaciive habuiſſe.

Arnobius ſubinde magno ſpiritus ardore hos alloquitur: Quid dicitis homines miſeratione, & lachrymis digni? quin metuitis, ne res, quæ riſum vobis cient, & quas contemptui duntaxat habetis, veræ forſan ſint? an non occurrit vobis dubium ſaltem, ne nimium tarde forſan veritati illud reſpondere intelligatis, quod pervicacia, tantaque malitia credere hodie abnuiſtis? an non timetis; ne inutilis forſan pœnitentia juſtæ in pœnæ locum vobis æternum ſubeunda ſit, eo maxime nomine, quia non credidiſtis? *Ne, quod hodie credere obſtinata renuitis perverſitate; redarguat ſerum tempus, & irrevocabilis pœnitentia caſtiget.*

S. Bernardus pauculis verbis fidei panegyrim complectitur. Fides errori nulli patet: neſcit, quid ſit deceptio: utut cæca ſit, videri non poteſt: humanæ rationis limites ultra provehitur, naturam, experientiamque ſuperat, gnara, quid una præſtare, altera docere non poſſit. (a) *Fides falli neſcia, fides inviſi-*

(a) In Cantic. ſerm. 28.

visibilia comprehendens, transgreditur etiam rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos.

S. Chrysostomus similitudine felici admodum utitur ad demonstrandum, preces nostras ad cœlum provehi non posse, nisi a corde demisso, dolorisque pleno proficiscantur. (a) Aqua, dicit, quæ per terram planam, unitamque decurrit, non attollitur, sed quæ tubis angustis constringitur, non minore celeritate, quam sagitta in sublime attollitur. Ita prorsus se res habet cum humano corde, quod in res terrenas, abjectasque diffunditur: serpit, & dissipatur per gaudia, dum dolore occupatum in cœlum erigi debuerat.

Vana eloquentiæ ornamenta non conveniunt veritati religionis: & ab Oratore cavendum, ne in cogitationibus, verbisque suis affectet acumen, & elegantiam, quam quærit Orator profanus. Relinquendæ sunt, inquit Arnobius, istæ pompæ, Veneresque Academiæ, vel fori. In rebus, quæ argumenti magnitudine satis se probant, quæ non ostentationi, aut scenæ deserviunt, quid,

 non

(a) Hom. 5. de incomprehensibil. Dei.

non qua amœnitate dicatur, considerandum. (a) *Pompa ista sermonis foro, judiciisque servetur. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum, non quali cum amœnitate dicatur.* Animi est, adjungit, depressi admodum, in rebus, quæ summi momenti sunt, quærere voluptatem, & dum persanandus est æger, dulcedine, & sono vocum eum demulcere, dum virtute medicamentorum sanitati restituendus erat. *Dissoluti est pectoris, in rebus seriis quærere voluptatem: & tibi, cum sit ratio cum male se habentibus, atque ægris sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere.*

Teste S. Bernardo sacræ literæ eo, quo conceptæ sunt spiritu, legendæ, & eodem etiam intelligendæ sunt. (b) *Quo spiritu factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt.* Tantum enim, ingeniose adjungit, discriminis intercedit inter studium, nudamque lectionem sacrarum literarum, quantum inter familiarem usum amici, magnis necessitudinibus juncti, & inter colloquium per occasionem cum ignoto

(a) Adverf. Gentes lib. 1. (b) Tractat. de vita solitar.

to extero initum: vel inter amicitiæ vinculum magnis utrinque officiis cultum, vel urbanitatem aliquam in fortuito occursu exhibitam. *In omni scriptura tantum distat studium a lectione, quantum amicitia ab hospitio: socialis affectio a fortuita salutatione.*

Quod de eadem fere materia S. Augustinus dicit, non minus venustum, quam verum est. Si nihil sacræ literæ continerent, nisi quod primo conspectu paret, nec tanto ardore in inquirenda veritate desudaremus, nec ea detecta tanto gaudio perfunderemur. (a) *Si ea tantum essent, quæ facillime intelliguntur, nec studiose quæreretur, nec suavissime inveniretur veritas.*

Quod primo intuitu miserum ducimus, veræ felicitati inter Christianos apponendum est. Hanc dum vitam agimus, felicitatem nobis non nisi tunc spondere possumus, cum calamitatum omni genere oppressi videmur. (b) *Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur.* A voluptatibus avulsi, unique virtuti mancipati vivimus

(a) De Vera Rel. cap. 17. (b) Institut. lib. 3. cap. 12.

vimus in miseriis exercendæ, & corroborandæ virtuti aptis. Hoc eodem Magni Arnobii magno Discipulo, & erudito Magistro Crispi Constantini Filii teste, pietas, & sapientia nunquam non jungendæ sunt, ut ad veritatem perveniatur. Homines eo maxime capite in fide aberrant; quod eam amplectantur, quin sapientiam in consilium vocent: aut quod totos se sapientiæ permittant, quin religionem jungant; cum tamen una alterius auxilio destituta nec vera, nec utilis esse possit. (a) *Homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiant omissa sapientia, aut sapientiæ soli student omissa religione, cum alterum sine altero esse non possit verum.*

Veræ, & solidæ sunt istæ cogitationes: hæc vero acris, & vivida. Loquitur de antiquis Philosophis, qui severos, & modestos professi mores, palam de pudore, & continentia locuti, privatim vitam in omnem libidinem effusam agebant, de quibus dicit, quod sint (b) *diserti in convivium suum*; quod exquisitus sermo, quo utuntur ad celebrandam, & extollendam virtutem, in eosdem retorqueatur, & quantum virtutem

(a) Cap. 11. (b) Cap. 15.

tutem celebrant, tantum injuriarum, & probrorum sibi inferant. Adjungit, quod hac ratione fœda sua probra obtegere conentur, & authoritatem quandam velut accersere, ut qua honesti specie scelera ea admittere videantur. *Patrocinia turpitudini suæ fingunt, ut etiam honeste peccare videantur.*

S. Hieronymus in scribendis elogiis mire excelluit: unum e magis elaboratis in suo genere est illud, quod Asellæ Virgini scripsit: aliqua ejus lineamenta accipe. Modico cubiculo constricta, spiritu immensa Paradisi spatia percurrebat. (a) *Unius cellulæ clausa angustiis, latitudine Paradisi fruebatur.* Terra illi orationis, & quietis locum præbuit. Rigidissima jejunia facillime toleravit, ipsa abstinentia victitavit. *Idem terræ solum & orationis locus extitit, & quietis. Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione.* Rigor pœnitentiæ nec valetudini obfuit, nec facilem illius genium exasperavit. Firma corpore, animo firmior solitudinem in delicias vertit: in tumultu magnæ urbis quietem solitudinis invenit. *Sana corpore, anima sanior solitudinem putaret*

(a) Epist. 15.

taret esse delicias, & *in urbe turbida inveniret eremum Monachorum.* Nihil amœnius erat, quam quod in ea severum videbatur: nihil adstrictum magis erat, quam quod in ea amœnum ducebatur. Dulcedo illius, & lætitia modestum quid, seriumque spirabat, gravitas ipsa sua dulcedine respersa erat. *Nihil illius severitate jucundius, nihil jucunditate severius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius.* Pallor vultus nec ostentationi, nec vanitati serviebat, mortificationem, continentiamque solum prodebat. Sermo prudens, exactus, brevis silentii locum explebat, & ipsum silentium facundi instar sermonis fuerat. *Sermo silens*, & *silentium loquens.* Cultum muliebrem neglexit, & si quando eum adhibere cogebatur, splendorem omnem justum intra modum constringere adlaboravit. *Neglecta munditie*, & *inculta veste, cultus ipse sine cultu*, Denique in urbe, ubi magnificentia, dissolutio, gaudia sedem suam posuerunt, ubi vituperium effugere vix poterant, qui simplici, modestoque habitu utebantur, æquabili vitæ suæ ratione id obtinuit, ut boni omnes eam laudarent, impro-

improbi probris eam onerare non auderent, Viduæ, Virginesque imitarentur, liberæ vitæ addictæ fœminæ metuerent, ipsi Sacerdotes revererentur. *Sola vitæ suæ æqualitate promeruit, ut in urbe pompæ, lascivia, deliciarum (in quo humilem esse miseria est) & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant: Viduæ eam imitentur, & Virgines, maritatæ colant, noxiæ timeant, suspiciant Sacerdotes.*

Cogitationes hæ, reliquæque, quas hic collectas complexus sum, abunde probant, pietati cum ingenio non male convenire. De Patribus Ecclesiæ, quos adduxi, universim dici potest, quod S. Hieronymus in laudem Tertulliani scriptis suis inseruit: quid majore eloquentia, soliditate, & teneritudine confertum, quam eorum scripta reperiri potest? (a) Quid Tertulliano eruditius, quid acutius?

O. A. M. D. G.

ET

B. V. M. H.

(a) Epist. 84.